



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**


**VD18 90118294**

Liber CIV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)





HISTORIÆ  
ECCLESIASTICÆ  
LIBER CIV.

SED. VAC.

SIGISMUNDUS OCCIDENT. EMANUEL II.  
ORIENT. IMPERATORES.

§. I.

*Sermo, & opusculum Gersonii.*

**N**ovi hujus anni auspicia Synodus fa- Sæcul. XV.  
crabat publica supplicatione pro fe- A. C. 1417.  
lici Cæsaris reditu, qui indies ex- \_\_\_\_\_  
spectabatur, instituta. Die vero quarta Gerson. to. 2.  
Januarii generalis celebrata est congre- p. 350.  
gatio, in qua recitabantur literæ ex Ca-  
stella, atque Scotia delatæ, quibus so-  
lemnes Legationes brevi adventuræ nun-  
ciaba-

R 5

ciaba-



Sæcul. XV. A.C. 1417. ciabantur. Demum in ipso Epiphaniæ festo habitus est sermo de restauranda Ecclesiæ disciplina. Gerfonius quoque decima septima ejusdem Mensis die, S. Antonio sacra, orationem declamabat, in qua duo maximi momenti argumenta discussit, nimirum auctoritatem Concilii supra Papam, in Sessione V. solide stabilitam, necnon causam novem propositionum Joannis Parvi, quarum damnatio hucusque semper Burgundi Ducis artibus elusa fuit. Insuper idem Synodo aliud obtulit opusculum, in quo fuse enumerat errores, quos in Concilio contra præceptum Decalogi, *Non occides*, prolatos fuisse contendit.

## §. II.

*Imperator Constantiam redux.*

*Juven. Urs.* Anno & plusquam sex mensibus Imperator absens erat, postquam enim vigesima Junii Anno millesimo quadringentesimo decimo quinto Constantia dicessisset, nonnisi vigesima septima Januarii Anno supra millesimum quadringentesimo decimo septimo illuc rediit, per Gallias in Angliam transiens, ut inter utrumque Regem aut pacem, aut saltem inducias conciliaret, testaturque Juvenalis Ursinus, hunc in finem a Sigismundo frequentius nuncios in Franciam missos, nec



nec tamen pacem, imo nec inducias fuif-  
 se impetratas. Equidem Angli pacem Sæcul. XV.  
A. C. 1417.  
 exoptare credebantur, ab ea tamen Ca-  
 rolus VI. alienus erat, partim quod eidem  
 undique auxiliares mitterentur copiæ,  
 partim quia, ut refert laudatus Auctor,  
 sperabat, fore, ut Burgundus ad officium  
 suum rediret, ac reversus cum suis quo-  
 que militibus bellum in Anglos moveret.  
 Imperator ergo operam se perdere intel-  
 ligens, Constantiam repetere statuit, ubi  
 ingenti omnium lætitia, ac singulari ma-  
 gnificèntia exceptus est. Tempore ma-  
 tutino jam Cardinales, Patriarchæ, Epi-  
 scopi, omnesque Clerici vestibus solem-  
 nioribus induti, advenientem in Ecclesia  
 Cathedrali præstolabantur, ibique Car-  
 dinalis Florentinus peracta re Divina de  
 prospero ipsius reditu Orationem dixit.  
 Imperatori autem urbis mænia salutanti  
 totus Clerus solemnè ordine obviam pro-  
 cessit, civesque ingredientem campana-  
 rum pulsu, & bombardarum strepitu fe-  
 stive exceperunt. Ad pontem subsistens  
 Imperator, a Senatu sub pretiosissimo,  
 auroque resplendente Umbraculo, quod  
 quatuor Senatores tenebant, recipieba-  
 tur, talique comitatu usque ad Eccle-  
 siam deductus est, ubi Episcopus Sares-  
 beriensis coram eo gratulatoriam Oratio-  
 nem declamavit.



Sæcul. XV.  
A.C. 1417.

§. III.

*Strigoniensis Archiepiscopus Constantiæ.*

*Vander  
Hardt to 4.  
p. 1092.*

Post Cæsaris adventum ad publica negotia rediere Patres, & ante omnia Joannis Parvi causam discusserunt, quam reformationis cura exciperet. Joannes Gersonius prima Februarii die sermonem habuit, quo Synodum impense rogabat, ut damnatis novem Joannis Parvi propositionibus sacram Principum Majestatem, vitamque a rebellium subditorum insultibus tueretur. Biduo post Archiepiscopus Strigoniensis, Hungariæ Primas, Cancellarius regni, & supremæ Curie Princeps Constantiæ advenit, perhonorifice exceptus. Huic urbem intranti unacum duobus Cardinalibus obviam ibat Imperator. Die vero sexta Februarii publice perlegebatur Gersonii tractatus *de Auctoritate Concilii & potestate Ecclesiæ*. Hoc opusculo, ut ita dicam, præludebatur Concilii deliberationibus de futura Benedicti depositione, electione Pontificis, & reformatione Ecclesiæ instituendis, denique de Sessione proxima agebatur.

§. IV.



§. IV.

*Sessio XXVII.*

Sæcul. XV.  
A.C. 1417.

Die vigesima Februarii habita est Sessio *Labbe Conc. to. 12. p. 208.*  
ab inchoatione Synodi vigesima septima, & a die reditus Cæsarei prima, cui Imperator adfuit. Actum est iudicii legibus in caussa Friderici Austriaci, qui Tridentinum Episcopum, ejusque bona violenter detinebat. Adversus hunc Ducem jam aliquod edictum, quod *monitorium* vocant, edebatur, ejus tamen executio usque ad Cæsaris adventum dilata est. Præterea nominabantur Commissarii ad discutiendas lites, quibus Abbas & Religiosi Cistercienses cum Ludovico Bavaro Regis Franciæ Sororio collidebantur. Conquestus erat Abbas de innumeris injuriis, atque damnis, quæ monasterio ejus Dux ille intulisset. Tandem deliberatum est de collationibus quarundam Ecclesiarum seu Abbatiarum vacantium, uti erant Episcopatus Narniensis, & Cassanensis in Regno Neapolis. His peractis soluta est Sessio. Biduo post Imperator in Palatio suo Joanni de Nassovia Moguntiae Archiepiscopo ejusdem Electoratus investituram concessit, Electore Palatino, & Burggravio Norimbergensi huic solemnitati assistentibus.

§. V.



Sæcl. XV.  
A.C. 1417.

§. V.

*Capitulum Benedictinorum Petrusii  
celebratum.*

*Reichental  
apud Van-  
der Hardt  
to. I. p. 1092.*

Cum Ordo S. Benedicti in Germania a primævo suo fervore multum remisisset, in Abbacia Petrusii vulgo Peterhusii \* haud procul a ponte Constantiensi sita Synodus capitulum Provinciale convocabat, concurrente Moguntinæ & Bambergensis Diocesum auctoritate; Hunc in finem die decima octava Februarii Anno Salutis millesimo quadringentesimo decimo sexto conditum est Decretum, Nationis Germanicæ Benedictinis, quorum præprimis reformationi Synodus invigilabat, inscriptum. Ergo Capitulum Provinciale vi alterati Decreti celebrandum, hoc anno die vigesima octava Februarii inchoatur. Intererant triginta sex Abbates, viginti duo Priores, & trecenti septuaginta tres Religiosi Benedictini. Eligebantur in Præsides Ludovicus Abbas Treverchensis, ex Diocesi Cabillonensi, Thomas Eboracensis Abbas in Anglia, Sigefridus Abbas Elvacensis ex Diocesi Augusta-

\* Trithemius in Chronic. ad ann. 1417. vocat hoc Monasterium. *Petri Domum seu Peterhusen.*



gustana, ac denique Joannes Abbas S. Sæcul. XV.  
 Georgii Diocesis Constantiensis. Præ- A C. 1417.  
 ter alia hujus Capituli statuta prohibeba-  
 tur Abbatibus Monasteria lustrantibus,  
 ne singuli secum ultra duodecim equos  
 adducerent.

§. VI.

*Initium reformationis in Ordine Be-  
 nedictinorum.*

Hujus Capituli Statuta Imperator men- *Vander*  
 se Februario anni sequentis rata ha- *Hardt to. I.*  
 buit, dictique ordinis reformationem *pag. 1112.*  
 quidam Monachus nomine Joannes ex  
 Abbacia Rheinhufana Moguntinæ Dico-  
 cesis aggressus est. Hunc cum Otho  
 Dux Brunsvicensis ad Clusensem Abba-  
 tiam Diocesis Hildesienfis evocasset, ut  
 ibidem reformationem & statuta in præ-  
 fato Capitulo condita in usum deduceret,  
 omnes Monachi nudo reformationis no-  
 mine territi discesserunt, solo relicto Jo-  
 anne, ut ipse Constitutiones, quas sta-  
 bilire intenderat, etiam colere deberet.  
 Verum is propterea nil animo fractus,  
 quosdam Religiosos regularis disciplinæ  
 magis studiosos collegit, atque obtenta  
 Brunsvicensis Ducis licentia cum illis ad  
 quamdam ferme collapsam Abbatiam no-  
 mine S. Thomæ in Bursfeldia Diocesis  
 Moguntinæ se recepit; unde paulatim  
 refor-



Sæcul. XV. reformatio per universam Germaniam feliciter propagata est. Juxta Bursfeldensis Congregationis normam ducentis ex post annis duæ aliæ toto orbe celebres erectæ sunt, nimirum Congregatio S. Victoris & Hidulphi in Lotharingia, & altera S. Mauri in Galliis.

*S. Vannes.*

§. VII.

*Sessio XXVIII. Sententia contra Ducem Austricæ lata.*

*Labbe Conc. to. 12. p. 209.* Die Mercurii tertia Martii habita est Sessio ordine vigesima octava, in qua præprimis discussa est causa Ducis Austriaci, declaravitque Synodus, citationem quidem executioni datam esse, Ducem vero non comparuisse in judicio, ac propterea rebellem declarari & perjurum, atque ut talem omni honore ac dignitate exutum; statuitque non modo illum, sed omnes ejusdem descendentes usque ad secundam generationem, necnon omnes eidem adhærentes ad quævis honorum fastigia inhabiles, atque Imperatoris judicio tradendos esse. Anathematis quoque executio Episcopo Traguariensi demandata fuit. Hanc sententiam Arragonenses quidem approbabant, illam tamen clausulam, *Sede Apostolica vacante*, impugnabant, eo quod, inquebant illi, *Sedes Apostolica nondum vacaret*,



caret, abs dubio, quia Benedictus nec-  
 dum sede deiectus erat. Ast cum ipsi-  
 met ab ejus obedientia jamjam defecis-  
 sent, Synodo aggregati, mirum plane,  
 quo pacto hasce tricas movere potuerint.

Sæcul. XV.

A.C. 1417.

## §. VIII.

*Epistola Deputatorum a Synodo Paniscolam missorum.*

Septima Martii die Patres congressi sunt, *Vander*  
 Epistolam perlecturi, quam duo Mo-*Hardt tom. 4*  
 nachi Benedictini, Lambertus Stockius *p. 1146.*  
 Germanus, & Bernardus de Plancha  
 Burdegalensis Paniscolam missi, ad Car-  
 dinalem Vivariensem exarabant, qua via  
 Benedicto citationem insinuassent, indi-  
 cantes: nimirum, Benedictus comperto  
 horum adventu Doctorem quemdam eis  
 obviam mittebat, qui illos rogaret, ut  
 suum ingressum in posteram diem differ-  
 rent; verum ipsi, cum Benedictus secu-  
 ritatis literas illis dare negasset, nil ejus  
 preces morati, suum iter prosequuntur,  
 atque ad portas urbis a Petri de Luna  
 Nepote, quem ducenti Equites armis  
 probe instructi stipabant, excipiuntur.  
 Altera die audiuntur a Benedicto, tri-  
 bus Cardinalibus, quibusdam Episcopis,  
 aliisque Ecclesiasticis assistentibus; Hi  
 Benedictum demisse quidem salutant,  
 nec tamen genua coram eo flectunt, de-  
*Hist. Eccles. Tom. XXVI.* S      mum



Sæcul. XV. A.C. 1417. mum alta voce citationis decretum Pa-  
 pa præsentate legunt; dum vero scripturæ  
 seriem ad ea producerent verba, quibus  
 schismatis ac hæresis notabatur, se men-  
 daciis ac calumniis appeti exclamabat  
 Benedictus, dixitque, Concilium esse  
 nullum, resque a se gestas apologetico  
 sermone vindicavit, subjungens, quod  
 ad procurandam Ecclesiæ unionem nova  
 Synodus in quodam suæ obedientiæ lo-  
 co convocanda, sibi que futuri Pontificis  
 electio committenda foret.

## §. IX.

*Responsum Benedicti ad Deputatos  
Concilii.*

Cum vero Deputati responsionis hujus  
 instrumentum erigi postulassent, Pa-  
 pa indignabundus respondit: *habita de-  
 claratione cum meis Cardinalibus, infra  
 paucos dies debitum dabo responsum*, quod  
 exacto biduo eis reddebat, sed id ipsum  
 non nisi prioris extensio erat. In eo irri-  
 tantur, nulla que declarantur omnia a Con-  
 stantiensi cœtu facta, vel facienda, eun-  
 demque Synodi auctoritate firmatum ne-  
 gat, asseritque, oblatas a se fuisse omni  
 tempore honestas, quibus Ecclesiæ pax  
 redderetur, condiciones, quas vero cum  
 ejus adversarii respiciissent, ipsosmet ob-  
 jecti sibi schismatis reos esse. Præterea  
 diffite-



diffitetur, se unquam viam cessionis ad-  
 optaturum spondisse, exclusis aliis, Sæcul. XV.  
A.C. 1417.  
 quas æquiores iudicasset. Dein conque-  
 ritur, oblata a se media penitus rejecta  
 fuisse, imo a Principibus pertinaci consi-  
 lio explosa. Sermonem absolvit, dicens,  
 etsi Concilium, quod ipse non convocas-  
 set, accedere compelleretur, nunquam  
 tamen Constantiam se aditurum, tum ob  
 provectam suam ætatem tam longo itine-  
 ri imparem, tum quod hæc civitas Cæ-  
 saris imperio plene subjiceretur, sibi que  
 per inimicorum suorum terras pertrans-  
 eundum foret. Denique omnes, qui  
 Concilio intererant, pronunciat hæreti-  
 cos, schismatis ac hæresis fautores, at-  
 que tales omnibus pænis in hoc casu san-  
 ctis obnoxios.

Deputati, cum aliud responsum a Be-  
 nedicto extorquere desperarent, Derthu-  
 siam proficiscuntur, Arragonum Regem  
 conventuri, indeque recta Constantiam  
 pergunt, quo Benedictus jamjam Epi-  
 scopum Conchensem præmiserat, ut pa-  
 cis condiciones offerret, prout ipse dix-  
 rat, re tamen ipsa, ut diffensionis ziza-  
 nia seminaret. Quapropter dicti duo Be-  
 nedictini in suis literis enixe hortabantur  
 Patres, ut hujus Papæ depositionem ma-  
 turarent, illumque Pontificatu exuerent.  
 Scripta est hæc Epistola Derthusiæ die  
 vigesima secunda Januarii, cujus impul-  
 su,



Sæcul. XV. fu, quamvis tardius perlata fuisset, Pa-  
A.C. 1417. tres cuncta ad prosequenda iudicii acta  
 adversus Benedictum instruxere, ac tan-  
 dem finali ejusdem sententiæ in Sessione  
 proxima initium dederunt.

§. X.

*Sessio XXIX.*

*Labb. Conc.*  
*to. 12. p. 212.*

Die octava Martii Sessio habita est nu-  
 mero vigesima nova. Postulabant  
 Promotores, ut, cum jamjam evoluto  
 die centesimo, a quo citatio expedita  
 esset, Benedictus necdum comparuisset,  
 nominarentur Commissarii, qui illum an-  
 te valvas Ecclesiæ citarent. Annuît Sy-  
 nodus Promotorum votis. Ergo duo  
 Cardinales, totidemque Episcopi, ac  
 Protonotarii cum Curse Apostolico de-  
 putantur, qui ad fores majoris Ecclesiæ  
 Constantiensis trina vice Benedictum vo-  
 carent, quæ citatio legitima facta publi-  
 cis tabulis inserta est. Totum Sessionis  
 hujus tempus in perlegendis variis actis,  
 necnon juris formulis adversus Benedi-  
 ctum infumebatur, ante cujus finem Pro-  
 motor Papam hunc contumacem decla-  
 rari petiit, sed Synodo rem maturiori  
 deliberationi remittente, Sessio soluta  
 est.

§. XI.



§. XI.

Sæcul. XV.  
A.C. 1417.*Sessio XXX.*

**D**ie, quæ præcedentem Sessionem sequebatur, ambo illi Benedictini Constantiam venerunt, ac decima ejusdem Mensis in Sessione trigesima, præsentato Imperatore, post Missam de Spiritu sancto rei gestæ rationem reddiderunt, exponentes, quo pacto a Benedicto fuissent excepti, quidve eis respondisset, pluraque figillatim recensebant, ex quibus luculentiori adhuc argumento illius pervicacia comprobaretur. Cum vero hac super re instrumentum confecissent, illud Bernardus de Blancha prælegit; hoc finito, Petrus de Limburgo Juris Doctor jussu Synodi decretum recitabat, quod approbat, confirmatque edictum, quo Ferdinandus Arragonum Rex, & postea Alphonfus ejus Successor, omnesque illius subditi sese Benedicti obsequio subtraxerunt: Cum autem hic Papa Anno Domini millesimo quadringentesimo octavo Massiliæ agens, adversus Imperatorem, Reges & Principes, qui se ipsius obedientiæ subtraxissent, aut subtracturi essent, Bullam edidisset, eam Synodus alio decreto, quod pariter recitatum est, nullam declaravit.

S 3

§. XII.



Sæcul. XV.  
A.C. 1117.

§. XII.

*Sessio XXXI. Diffidia Gallos inter  
& Anglos composita.*

*Idem p. 216.* In Sessione trigesima prima celebrata die Mercurii ultima Martii, cui Cæsarem adfuisse non constat, de causa Benedicti nil agitatum est: In ea vero magnæ Gallos inter & Anglos exoriebantur discordiæ. Galli enim specialem in Synodo nationem efficiendi prærogativæ, quam sibi Oratores Angli arrogaverant, contradicebant; Thomas Polton Angliæ Legatus jus suum tuebatur, edito hanc in rem libello, quo rationum momentis a Gallica natione jam antea exhibitis respondere conabatur; cum vero Anglorum Scriptura nimis proluxa esset, ex integro recitata non fuit. Nihilominus illam Synodus approbavit; unde Angli in possessione juris quintæ Nationis conservati fuerunt, eodem prorsus modo, quo quartam formabant, priusquam Hispana natio accessisset.

§. XIII.

*Litteræ monitoriæ adversus Comitem  
Virtutum.*

*Vid. supr.  
Lib. CIII.  
§. 146.*

Cum Philippus Comes Virtutum Albertum Astensem Episcopum, qui Constantiam petebat, in Longobardia com-



comprehensum carceri mancipasset, Epi-  
 scopus Concordiensis a Synodo monito-  
 rium, ut vocant, contra præfatum Co-  
 mitem expediri petiit, eoquod illius vio-  
 lentia Carolinæ Constitutioni, quam Sy-  
 nodus confirmasset, adversaretur. Con-  
 cilium æquas habens Concordiensis E-  
 piscopi preces, Comiti Virtutum indicta  
 anathematis pæna injunxit, Episco-  
 pum Astensem infra bidui spacium  
 e carcere dimitteret, ac Constantiam  
 libere abire sineret, ut a Synodo utri-  
 parti jus dici posset; cujus rationem Pa-  
 tres allegabant sequentem: *quia subditi  
 in eorum Prælatos, & Laici in Clericos  
 nullam habent jurisdictionem, & potestatem,*  
 quem Canonem postmodum Richerus  
 Doctor explanavit, asseruitque, ex hisce  
 Constantiensis Synodi verbis inferi haud  
 posse, quod Clerici in omnibus a Juris-  
 dictione civili exempti essent.

Sæcul. XV.  
 A. C. 1417.

Richer. hist.  
 Conc. tom. 2.  
 p. 178.

§. XIV.

*Varia Decreta in Synodo promul-  
 gata.*

Quatuor postmodum perlecta sunt de-  
 creta; quorum primum famosos  
 prohibuit libellos; alterum *ad interim* ele-  
 ctum confirmavit Episcopum, quem Be-  
 nedictus XIII. adversus æmulum a Joanne  
 XXIII. nominatum ad Bajonensem E-  
 piscopo-

Labbe Cons.  
 to. 12. p. 218.





Sæcul. XV  
A.C. 1417

piscopatuum promovebat, ea tamen lege, ut si primo confirmatus vita excederet, Bajonense Capitulum ad novam electionem non procederet; ita enim cum Arragoniæ Rege conventum erat. Tertio decreto incolis Marchiæ Anconitanæ præcipiebatur, Angelo Corario olim Gregorio XII. tanquam vero ejus Legato obedientiam præstarent. Quartum denique successores substituit Commissariis ad causas fidei in Bohemia deputatis, vel mortuis vel officio defunctis. Ante Sessionis finem recitata est Poloniæ Regis, & Ducis Lithuanianæ epistola per Gnesnensem Archiepiscopum allata, in qua ambo Principes Synodo significant, se nihil eorum non egisse, quibus firma pax cum Ordine Teutonico revocaretur, Equites vero conditiones cunctas, easque honestissimas respuisse, ideoque si Poloni jure defensionis propriæ ad arma descensuri essent, Equitum ipsorum id culpæ fore.

§. XV.

*Connubium Ladislai Poloniæ Regis.*

*Dlugoff. lib.*  
*12. p. 374.*  
*379.*

Anno Salvatoris millesimo quadringentesimo decimo sexto die vigesima prima Martii Anna Regina, Comitis Cilleiensis Filia, secunda Ladislai Jagellonis Poloniæ Regis conjux, Cracoviæ e vita decessit.



decesserat; hoc autem anno prima Maji Sæcul. XV.  
 die Rex duxit Elisabetham de Piltzia fi- A. C. 1417.  
 liam Castellani, seu Vice-Regis Poloniae.  
 Illa vidua erat tertio orbata marito, se-  
 nex, infirma, ac prolibus relictis abun-  
 dans. Irrito profus conatu Regis Consi-  
 liarii Ladislao exponebant, ejusmodi nu-  
 ptias tanto Rege non minus indignas,  
 quam regno perniciosas esse, a propo-  
 sito tamen illum dimovere haud poterant.  
 Ceterum neo-assumptam Reginam coro-  
 nandi jus Primatis Poloniae dignitas Ar-  
 chiepiscopo Gnesnensi afferebat, absentis  
 tamen vices supplevit Archipræsul Leo-  
 poldiensis. Verum Gnesnensis veritus,  
 ne id Primatui suo præjudicio esset, jus  
 suum per Synodi decretum confirmari  
 petiit, obtinuitque.

## §. XVI.

*Hussitarum furor in Bohemia.*

Hussitæ accepto Hieronymi Pragensis Boles. Balb.  
 supplicii nuncio, indomitis impoten- p. 459.  
 tibusque furiis vehementius agitati, om-  
 nia ferro flammaque devastant, Sacerdo-  
 tes trucidant, diripiunt Ecclesias, atque  
 incendiis delent, Verbo, omnia sus deque  
 vertunt; illi etiam, qui ceteris scientia  
 prævalere videbantur, sectæ suæ formu-  
 lam concinnant, in qua summum Ponti-  
 ficem aliis Episcopis æquiparant; purga-  
 torium



Sæcul. XV.  
A.C. 1417. torium, & suffragia pro defunctis proscribunt, imagines rejiciunt; cuius promiscue absque speciali missione prædicandi copiam adjudicant; Confirmationem, & extremam Unctionem ex albo Sacramentorum expungunt; Confessionem tanquam ridiculam explodunt; Ecclesias & Oratoria construi prohibent; jejunia, & cessationem ab opere servili in die dominica eliminant; ac denique Communionem sub utraque specie stabiliunt.

## §. XVII.

*Wenceslai Imperium excutere parati.*

**H**uffitæ huic formulæ subscribunt, & sub eorum Duce Zischa, & Nicolao de Huffinetz insigni Joannis Huffi fauore exercitum quadraginta armatorum millium colligunt, ut Wenceslaum, quem sibi minus addictum credebant, exauctorent, ejusque loco quemdam suæ sectæ asseclam subrogarent. Quod consilium omnino executioni dedissent, ac forte manus suas Wenceslai sanguine polluissent, nisi Sacerdos quidam, nomine Corenda, ab hoc sacrilego facinore eos absteruisset, quadam adhortatione ad illos facta, eo magis artificiosa, quo minus ipsemet ab eorum genio alienus esset.

## §. XVIII.



## §. XVIII.

Sæcul. XV.  
A. C. 1417.*Hussitæ in Taboritas & Orphanos  
divisi.*

Zischa montem, cui postea Tabor nomen erat, aliquot leucis Praga diffitum designabat, in quo Hussitas conventus suos agere, omnique populo Communionem sub utraque specie administrari præcipiebat, quod & effecit, insuperhabita Clericorum repugnantia, & Synodi anathemate.

## §. XIX.

*Sessio XXXII.*

Die prima Aprilis Patres Sessionem *Lab. Conc.* trigessimam secundam celebrant, cui *tom. 12. p.* Imperatorem interfuisse, ex actis Synodi *219.* minime perspicitur. In ea Concilium nominabat duos Cardinales, totidemque Episcopos, adjunctis quibusdam Notariis, denuo Benedictum ad valvas Ecclesiæ Cathedralis citaturos. Vocatur tribus vicibus, postquam autem hi Deputati nec Petrum de Luna, nec quemquam suo nomine comparuisse retulissent, duobus

(\*) De Orphanis consule Æneam Sylvium *Hist. Bohem. cap. 47.* de illis enim mentionem facere oblitus est Continuator.



Sæcul. XV.  
A. C. 1417.

duobus illis Benedictinis Paniscola reducibus datum est negotium, denuo legerent scriptam itineris sui feriem, unacum Benedicti responso, qua lectione finita, Synodus Petrum de Luna declaravit contumacem, & septendecim constituit Commissarios, qui causam ejus examinarent, testes contra eum audirent, & in sessione publica eorum depositiones referrent. Hos inter Commissarios duo numerabantur Cardinales, unus Patriarcha, & tres Episcopi. Alia in hac sessione tractata non legimus.

## §. XX.

*Legati Castellæ ad alloquium admissi.*

Vonder  
Hardt to. 4.  
p. 1216.

Tertia die ejusdem mensis in Ecclesia Cathedrali habita est congregatio Generalis, in qua octo Castellæ Legati non ita pridem advenientes audiebantur, hi erant, duo Episcopi, totidemque nobiles Viri, ac quatuor Doctores. Aberat Imperator, omniaque sine consuetis solemnibus fuere peracta; nondum enim Castellani Synodum agnoverunt. Exhibebant literas mandati testes, & Episcopus Conchensis eis respondit oratione satis prolixa, cui Cardinalis Vivariensis Præses subjunxit, Patres esse paratissimos, Castellanos Synodo aggregare, imo hunc in finem coivisse, seque eos, quos ingenti desiderio



derio adventuros expectassent, majori jam Sæcul. XV.  
 gaudio recipere, simulque illis ad parti- A. C. 1417.  
 cularem eorum unionem quævis justa, ac  
 honesta offerre media, ut & ipsi communi  
 cum reliquis studio generali concordiæ  
 tandem perficiendæ adlaborare possent.  
 Hac die Imperator Rudolficellam solemnia  
 Paschatis celebraturus abiit.

§. XXI.

*Castellæ Legatorum tricæ.*

Die quarta Aprilis publice affixum est  
 Decretum, quo Petrus de Luna con-  
 tumax declaratur, itemque edictum Im-  
 peratoris contra Ducem Austriæ, ratio-  
 nes continens, ob quas omnia ejus bona  
 occupare coactus fuisset. Castellæ Le-  
 gati, priusquam Concilio uniebantur, ob-  
 tulerunt Articulos circa modum, quo fu-  
 turus Pontifex eligendus esset. Consti- Scheffer.  
 tutionem vero, qua sine Synodi consen- comp. Chron.  
 su Papam non esse eligendum fancieba- p. 58.  
 tur, invitis Cardinalibus conditam fuisse  
 conquesti sunt, postulantes, ut adhibitis  
 quoque Cardinalibus ad electionem pro-  
 cederetur, & loco eorum, qui e natione  
 hispana adhucdum Benedicto adhære-  
 rent, novi substituerentur Cardinales.  
 Verum Imperator noluit de Electione no-  
 vi Papæ, nec de Reformatione Ecclesiæ  
 in capite & membris tractari, priusquam  
 Bene-



Sæcul. XV. Benedictus depositus esset. Inde ortæ  
A. C. 1417. sunt triæ, nec Castellani accesserunt Synodo usque ad decimam octavam mensis Junii diem.

## §. XXII.

*Misniæ Marchio Cæsari indignatus.*

Vonder  
 Hardt to. 4.  
 p. 1231.

Interea Imperator decima tertia Aprilis Constantiam reversus, varia negotia tam civilia, quam politica, quæ particulares Germaniæ Principes concernebant, definivit. Venerat quoque Constantiam Fridericus Misniæ Marchio ac Thuringiæ Landgravius, ut ab Imperatore fiduciario ritu Misniam, ac nonnullas Bohemiæ urbes jure belli partas acciperet. Concessit Imperator lubenti animo Misniæ investituram, negavit tamen feuda Bohemica, eoquod frater suus esset Bohemiæ Rex, & ipsemet jure proximus hujus coronæ hæres. Hac repulsa Marchio usque adeo ira accensus est, ut Misniæ etiam investituram acceptare recusans, Constantia excederet, seque jus suum armis contra Cæsarem persecuturum comminaretur.

## §. XXIII.

*Causa Benedicti continuata.*

Idem pag.  
 1224. & 1  
 1271.

Die vigesima tertia Aprilis Synodi Patres congregantur, perlecturi accusationis



fationum capita, ex quibus Benedicti de-  
positio urgeretur. Biduo post alia ha-  
bebatur congregatio, in qua Sarisberien-  
sis Episcopus citatos testes sacramento  
obstrinxit, quos inter (plurimi enim erant)  
præcipue recensentur septem Cardina-  
les, duo Patriarchæ, sex Archiepiscopi,  
totidemque Episcopi, atque innumeri  
propemodum Doctores. Equidem Pe-  
trus Cauchon Burgundiæ Ducis Legatus  
in iudicio comparere detrectabat, cum  
vero contumax declararetur, demum &  
ipse Synodo acquiescens paucis ex post  
diebus iuramentum interposuit. Omnes  
hi testes præstito iurejurando ad sua re-  
versi sunt. Quibus absolutis Imperator  
cum Archiepiscopo Rigensi, unoque Pro-  
tonotario confestim in iudicii foro com-  
paruit, jurata quoque fidei capita contra  
Benedictum antea deposita confirmatu-  
rus. Adversus eundem die sexta Maji  
alii producebantur articuli, qui illius  
collusiones, ejusque pertinacem a Pifa-  
na Synodo absentiam testatam redde-  
bant. Hæc dum geruntur, nonnulli Do-  
ctores de restauranda Ecclesiæ discipli-  
na, necnon de electione summi Pontificis  
declamare, mentemque suam liberiori  
lingua aperire audiebantur.

§. XXIV.

Sæcul. XV.  
A. C. 1417.



Sæcul. XV.

A. C. 1417.

§. XXIV.

Sessio XXIII. Benedictus declaratus  
contumax.

*Labb. Conc.  
to. 12. p. 222.*

Cuncta hæc viam sternebant ad Sessio-  
nem trigessimam tertiam, quæ cele-  
brata est die duodecima Maji, eo dunta-  
xat consilio, ut Commissariorum, qui ad  
Benedicti inquisitionem denominati fue-  
rant, relationes audirentur. Aderat quo-  
que Imperator cum Electoribus, & S. R. I.  
Principibus, Cardinale Vivariensi pro mo-  
re Præsidis vices agente. Re divina per  
Gnesnensem Archiepiscopum peracta, Car-  
dinalis S. Marci nomine suorum Collega-  
rum provinciæ sibi demandatæ rationem  
reddidit, declarans, se incassum vocasse  
Benedictum, articulos contra ipsum pro-  
positos examini subjecisse, eosque pluri-  
morum omnis conditionis testium fide  
jurata comprobatos extare. Facta hac  
relatione iterato Benedictus citatur, eo  
vero nec per se ipsum, nec per suos com-  
parente Episcopus Dolensis prælegit de-  
cretum, quo contumax declaratur, cun-  
ctaque adversus eum acta promulgari ju-  
bentur; Benedicto autem terminus ad  
diem decimam quintam ejusdem Mensis  
præfigitur, infra quem præsens se defen-  
deret.

Statuta die tandem appropinquante,  
ac Benedicto denuo vocato, nec tamen  
com-



comparente, contumaciæ declaratio ite- Sæcul. XV.  
 rata est, decernuntque Commissarii, om- A. C. 1417.  
 nem ulteriorem moram omnino ab-  
 rumpendam, necdum tamen sententiam  
 hanc publicis inferendam esse tabulis.  
 Cum vero ultimum hunc terminum Be-  
 nedicto præstitutum, nimis angustum esse,  
 nonnulli existimarent, denuo vigesima  
 prima Maji Commissarii congressi sunt, &  
 ad tollendam omnem conquerendi ac ca-  
 villandi occasionem has inducias usque  
 ad vigesimam quintam currentis diem  
 esse porrogandas censuerunt, dempto ta-  
 men omni comperendinandi jure.

## §. XXV.

*Formula eligendi novum Pontificem a  
 Cardinalibus proposita.*

**D**um de depositione Benedicti agebatur, *Vonder*  
 futuri quoque Pontificis electioni *Hardt to. 4.*  
 providere constituerunt, sed in diversa *p. 1330.*  
 abierunt Patrum sententiæ. Imperator,  
 Germani, & Angli hanc electionem diffe-  
 rendam censebant, quousque reformatio  
 Ecclesiæ in Capite & membris, salutaribus  
 legibus definita foret; econtra Cardina-  
 les cum ceteris Nationibus uniti, creatio-  
 nem Pontificis præmittendam contende-  
 bant, eoquod, inquiebant isti, ad Ecclesiæ  
 Caput illam emendare pertineret. Quæ res  
 die vigesima nona Maji præsentem Impera-  
*Hist. Eccles. Tom. XXVI.* **T** *tore*



Sæcul. XV. A. C. 1417. tore agitata est, eique Cardinales exhibuerunt formulam, qua postulabant, pro hac tantum vice, & citra præjudicium in futurum quælibet Natio totidem nominet Prælatos, vel alios Ecclesiasticos, quot forent Cardinales, qui una omnes ad electionem procedant, item Eligendus ex suffragiis habeat duas tertias Cardinalium, totidemque Deputatorum Nationalium, omnesque eligentes jurato promittant, se sine partium studio, odio, vel acceptione Personarum officio suo functuros, denique, antequam ad electionem procederetur, a Concilio approbatio, simulque decretum petatur, quo eligentibus ad hanc electionem debita concedatur potestas, alias enim formulam hanc suo carituram effectu asserebant. Hujus auctor erat Cardinalis Cameracensis, qui, ut eandem commendaret, hanc in rem postridie in ipso Pentecostes die orationem habuit.

## §. XXVI.

*Sessio trigesima quarta.*

*Labbe Conc.*  
*tom. 12. p.*  
*223.*

In Sessione XXXIV. habita die Sabbati quinta Junii judicii acta contra Petrum de Luna, absente Imperatore continuabantur, necnon ab Archiepiscopo Senonensi re divina peracta Cardinalis S. Marci Sermonem habuit in hæc verba Epistolæ 1. S. Petri cap. 4. *Tempus est, ut veniat*



*niat Judicium de Domo Dei.* Episcopus Dolensis publice legit accusationum capita contra Benedictum delata, atque probata, quæ ad Synodam jam in præcedenti sessione remissa fuere. Post hæc legit Episcopus Lichfeldiensis horum obsectorum probationes, Concordiensis vero decretum, quo Synodus Commissariorum acta approbavit, ut jam nil amplius restaret, quam personalis Benedicti citatio ad audiendam ejus sententiam.

Sæcul. XV.  
A.C.1417.

§. XXVII.

*Congregatio de modo eligendi Papam.*

Die decima sexta Nationes congregantur, ut denuo de forma eligendi Papam deliberarent. Imperator, & qui cum eo sentiebant, ante omnia reformationem Ecclesiæ assumendam constanter urgebant. E diverso Castellani, unacum Cardinalibus clam adhuc Petro de Luna faventibus, sese Synodo aggregare recusabant, nisi prius hæc difficultas esset sublata, unde tantus clamor, tot altercationes subortæ, ut parum abesset, quin totum dissolveretur Concilium. Itaque Congregatio, re infecta finita est. In alia vero eodem die habita tot Virorum studia ad sedandos animos confluebant, ut Castellani tandem expugnati, suæ unioni acquiescerent.

Schelstrat.  
Comp. chron.  
p. 59.

T 2 §. XXVIII.



Sæcul. XIV.  
A. C. 1417.

§. XXVIII.

*Sessio trigesima quinta.*

*Tabbe Conc.*  
*tom. 12. p.*  
*224.*

Facta est hæc unio die decima octava Junii in Sessione XXXV, præfente Imperatore sub ingenti pompa, & festivis lætitiæ signis. Joannis Castellæ & Legionis Regis Legati, ubi advenerant, se tribus ex causis Constantiam adiisse docebant, nempe, ut Concilium convocarent, illi accederent, & subtractionem suam ab obedientia Benedicti, atque Narbonensem Capitulationem confirmarent. Postea Petrus de Limburgo publice prælegit mandatum Regis Castellæ datum vigesima quarta Octobris Anno millesimo quadringentesimo decimo sexto, & a Catharina Regis Matre necnon Regni Administratrice, & Archiepiscopo Toletano Magno Castellæ Cancellario subscriptum.

§. XXIX.

*Castellæ Legati Synodo aggregati.*

*Ibid.*

Hac lectione absoluta Ludovicus de Valloleti, Dominicanus pariter Castellæ Legatus schedulam Concilii convocatoriam legit, & Archiepiscopus Mediolanensis prævia hujus convocationis acceptatione tertium Capitulationis Narbonensis recitavit articulum, hujus tenoris: *Præfatis de obedientia Benedicti venienti-*



nientibus Constantiam, statim fiat unio eorumdem ad Concilium (sic per ejus obedientiam, ut præfertur, nuncupatum) pro faciendō unum universale Concilium. Quo absoluto Ludovicus de Valleoleti acta unionis legit, & Archiepiscopus Mediolanensis vicissim eidem respondit, Cardinale Vivariensi nomine totius Synodi subjungente, placet. Iisdem ritibus facta est unio Henrici Castellæ regii Principis, & Magni Magistri Ordinis Equitum D. Jacobi, qui suos Procuratores ad Synodum miserat. Postea hymnus *Te Deum*, cantabatur, & Cardinalis Vivariensis Præsidis locum tenebat, demum solitis cæremoniis inchoata sessione, Capitula Narbonnensia solemniter confirmabantur, quæ se servaturam universa Synodus jurejurando promittebat.

Sæcul. XV.  
A. C. 1417.

§. XXX.

*Protestatio contra Comitem Armeniacum.*

Præstito hoc sacramento Henricus de *Monstrelet*  
Piro Promotor, nomine Imperatoris, *Vol. I. p.*  
elata voce dixit: Si quis Principis & Co-<sup>251.</sup>  
mitis Armeniaci mandatarius adesset, libere loqui posset, ad quæ Gersonius Cancellarius assurgens dixit, Legatos Regis Galliæ habere schedulam, ex qua hunc Comitem vestigia Caroli VI. sequi planum

T 3

num



Sæcul. XV.  
A.C. 1417. num esset; respondit autem Promotor nomine Cæsaris; declaratione Gersonii Comitum Armeniacum non satis obstringi, cum proprium ipsius mandatum deficeret. Ad quod idem Promotor publice Comiti refragatus est, eoquod Sacramentum, quo se Narbonnense pactum observaturum promiserat, non adimpleverit. Habito sermone per Dominicanum de Valleoleti, sessio finita est.

## §. XXXI.

*Oratio de reformanda Ecclesia.*

*Vonder  
Hardt to. I.  
part. 16. p.  
823.*

**I**mperator junctis Germanorum, & Anglorum studiis Ecclesiæ reformationem Electioni Papæ præmittendam esse, constanter tenuit, contrariam sentientibus Cardinalibus, Italis, Gallis, atque Hispanis. Hunc in finem quidam Doctor, nomine Stephanus de Praga (forte hic non erat alius quam Stephanus Paletz) die vigesima septima Junii de Reformatione orationem habuit, in qua satis libere exposuit, quam necessaria esset Ecclesiasticæ disciplinæ restauratio; demum Clericorum vitia præcipue Simoniam prolixo sermone insectatus est, adhortans Patres, ut Pontificis electione non expectata, reformationi operam darent. Hæc oratio Cardinales, qui contrariam fovebant opinionem, non parum irritavit. Quapropter  
Itali,



Itali, Galli, & Hispani in quodam Nationali conventu Imperatori libellum porrexerunt, petentes, ut Synodus de forma Papam eligendi Decretum conderet, eoquod Cæsari in caussis Ecclesiasticis decernendi, nullum jus esset. Magna animorum contentione hæc caussa agitata est, sed conclusum nihil.

Sæcul. XV.

A. C. 1417.

§. XXXII.

*Imperator Cardinalium dictis acquiescere videtur.*

Nihilominus Imperator Cardinalium sententiæ cessisse videtur, nam rogatus die octava Julii, ut publicas supplicationes pro obtinenda Ecclesiæ salutari electione indiceret, consensit, jussitque Constantiensem Magistratum, ut ejusmodi preces, ac pietatis opera ad proximam diem Dominicam decerneret.

§. XXXIII.

*Tractatus Gersonii contra Flagellantes.*

Ad idem tempus refertur tractatus quidam Gersonii contra Flagellantium sectam, cujus jam supra meminimus, & adversus omnes, qui publicas flagellationes subeunt, licet nulli sectæ adscripti essent. Præprimis observat, quod lex Christi

Gerson. to. 2.

p. 660.



Sæcul. XV.

A.C. 1417

fiti operibus servilibus & superstitionibus careat, cum hæc maximam sortiatur virtutem ex misericordia & gratia sua, cujus gratiæ vasa sunt sacramenta, ex quo concludit, errare dicentes, quod hæc flagellatio potior sit ad delendum peccata, quam quæcunque confessio, vel qui eam æquiparant martyrio, Præterea, dicit: Formidandum esse, ne apud Personas Clericales, & in locis sacris causet hæc pollutio sanguinis, vel excommunicationem, vel irregularitatem, vel profanationem in eisdem locis sacris. Præsertim cum prohiberetur, pœnitentias publicas dare Clericis, tanto minus debere tales personas suscipere pœnitentias hujusmodi publicas. Hæc flagellationes publicas, esse contra verecundiam juvenum, & gravitatem virorum. Nihilominus juxta rectæ rationis præscripta suscipi, quando fiunt judicio superioris imponentis talem pœnitentiam, & quando ab altero fit, & moderate & sine scandalo & ostentatione ac sine sanguine, quemadmodum fit hujusmodi flagellatio in Religionibus approbatis, & ab aliquibus personis devotis. Econtra flagellationes populares nova sunt inventio, perniciofa, ab Ecclesia damnata, excitans mala ferme infinita, quippe proprii Sacerdotes vilipenduntur, contemnuntur confessiones & pœnitentiæ sacramentales, silemus, inquit, de furtis, stupris, otio &c. Ex quibus infert, hunc abusum esse eradicandum



dum per exhortationem vehementem & crebram, per leges, & poenas in refractarios, de cetero, sicut non licet seipsum propria auctoritate mutilare, nisi pro sanitate totius corporis consequenda, sic nec licet (ut videtur) quod a seipso quis sanguinem violenter ejiciat, nisi ob causam medicinæ corporalis.

## §. XXXIV.

*Ejusdem Epistola ad Vincentium Ferrerium, qui flagellantibus favere videbatur.*

Præcedentem tractatum excipit Epistola Gerfonii ad Vincentium Ferrerium, qui flagellationis exercitio favere credebatur. \* Sæpe sequebatur eum prodigiosa

\* *S. Vincentium Ferrerium Sæctæ flagellantium favisse, omni etiam verosimili ratione destituitur; erronea enim hæc opinio jam a Clemente VI, ut Odoricus Raynaldus ad annum 1349 testatur, fuit damnata, datisque epistolis, quæ in ejus Regesto anni octavi exstant, Præsules & Principes Germaniæ, Poloniæ, Sueciæ, Angliæ, & Galliarum tam vehementer quam solícite admoniti sunt, ut in suis Provinciis illud supersticiosum flagellantium hominum hypocritarum genus coercerent, conventicula dissolverent, eorumque Magistros carcèri manciparent; id quod contigit, cum S. Vincentius non-*



Sæcul. XV.  
A. C. 1417.

gioſa poenitentium flagris corpus ſuum  
cruentantium turma, qui ubique poſt eum  
currebant, illius prædicationes excepturi.  
Non ergo opportunius erat medium hos  
flagellantes revocandi, quam ſi ab hoc uſu  
ipſe reduceretur Vincentius, qua in re ta-  
men caute & prudenter agere oportebat,  
nam in Arragonia Inquiſitor hæreticæ  
pravitatis, atque ob plurimos infideles ac  
hæreticos, quos ad fidem Chriſti reduxe-  
rat,

*nifi tertium ætatis annum ageret, natus, ut Que-  
tiff & Echard referunt, ſolidiſſimeque probant,  
anno 1346. Quomodo igitur credibile eſt, ipſum  
grandiorem factum, Theologum, virumque Apo-  
licum huic ſectæ tot jam annis prædamnata, pro-  
ſcriptæ, ac ferme extinctæ favere potuiſſe, præ-  
ſertim cum apertam hæreſin contineret? Acce-  
dit, quod ejusmodi criminis ſuſpicio nullatenus  
S. Vincentio objecta reperiatur in actis Canoni-  
zationis ſuæ, cum tamen in hoc tribunali, quæ-  
cunque etiam minima, quæ vel umbram peccati,  
aut erroris præſeferre videntur, cenſoria virga  
rigidiſſime diſcutiantur. Illud quidem credi  
potest, quod ille tanquam Miſſionarius & Præ-  
dicator Evangelicus uſum flagellationum ſeu  
diſciplinæ, ut vocant, quas fideles animo poeni-  
tente, moderate, & ſemotis oſtentionibus, ſcan-  
dalis ac ſuperſtitionibus ſibi inſigunt, approba-  
verit, quemadmodum & Gerſonius, ut Graveson-  
tom. 5. Hiſt. Eccl. coll. 3. refert, adverſus fla-  
gellantes ſcribens, approbavit.*



rat, celeberrimus erat, imo ipse Alphonsus regiam, quam deferebat, Arragoniæ coronam eidem in acceptis retulit, ejusque laboribus, auctoritati, atque consiliis Synodi Patres potissimam partem adscribebant, quod in dicto regno obedientia Benedicto subtracta fuisset. Quocirca Gersonius modeste admodum ad illum scripsit: *Sectam se verberantium nec approbas, ut testantur noti tui, sed nec efficaciter reprobas, jactantur inde varii rumores per populos, quorum multa, etsi neque vera neque credenda censeantur ab illis, qui te intus norunt, nihilominus cujusdam mali occasio esse possent. Adhortatur eum, ut ad dissipandos hosce rumores strenue se huic usui opponeret, rogatque, ut ipse Concilium Constantiense accedere velit, flagellantium sectæ damnationem promoturus. In eandem rem anno præcedenti Arragonum Rex bina vice scripsit Vincentio, nec tamen illum horum dictis acquievisse, nec ad Synodum venisse constat, quamvis omnium votis exoptatus fuisset. Incertum quoque est, utrum Synodus circa hanc rem aliquid deciderit.*

Sæcul. XV.

A. C. 1417.

## §. XXXV.

*Sessio trigesima sexta. Citatio Petri de Luna.*

Die vigesima secunda Julii in Sessione trige-



Sæcul. XV.

A. C. 1417.

*Labbe Conc.*  
*tom. 12. p.*  
*230.**Bzov. an.**1417. p. 536.*

trigesima sexta, Petrus de Luna ad diem vigesimam sextam ejusdem Mensis vocatur, ut sententiam definitivam contra se ferendam audiret; Cum vero eodem hoc die festum S. Mariæ Magdalensæ incidisset, ac ideo forte citatio utpote in die festo facta, quibusdam nulla ac invalida videri potuisset, Synodus declaravit, quod pro auctoritate sibi concessa omnem, si quis contra hanc citationem allegari posset defectum suppleret. Quinque Episcopi hanc citationem publice recitarunt. Lectum deinde Decretum, quo omnes Bullæ, quas a nona Novembris Anni MCCCCXV in sua obedientia Benedictus evulgavit, rescissæ, atque abolitæ fuerunt, hinc vi hujus decreti Synodus sustulit excommunicationes contra multos Proceres, Clericos, atque sæculares Castellæ Legionis fulminatas, item confirmat, atque ratas habet omnes provisiones in his regnis a Benedicto factas, hac tamen conditione, ut inde nullum fiat præjudicium Arragoniæ, & Navarræ Regibus, ac Magno Rhodiorum Magistro, nec etiam Narbonnensi contraveniatur capitulationi.

## §. XXXVI.

*Sessio trigesima septima.*

Imperator in priore sessione absens, huic  
trige-



trigesimæ septimæ die præstituto, scilicet 26 Julii interesse voluit. Indicta erat, ut tandem ad ipsam Benedicti depositionem procederetur. Missa a Cardinale S. Marci celebrata, Patriarcha Constantinopolitanus sermonem habuit in hæc verba S. Joannis cap. 7. v. 24. *Iustum iudicium iudicate.* Promotor exposuit, Benedictum, eoquod non comparuisset, adhuc semel tanquam contumacem esse declarandum, petiitque de citationis in ultima sessione decretæ executione relationem fieri, quod & impetravit. Reiterata citatione, & Benedicto nullatenus comparente Episcopus Dolensis decretum legit, quo sancitum, ut ad depositionem Petri de Luna procederetur, eoquod manifeste contumax esset. Cardinalis Vivariensis, ut Concilii Præses, postmodum sententiam legit, hujus tenoris:

Sæcul. XV.  
A. C. 1417.

Labbe Conc.  
tom. 12. p.  
233.

§. XXXVII.

*Sententia Depositionis Benedicti XIII.*

*De vultu ejus hoc iudicium prodeat, qui sedet in throno, & ex ore ejus procedit gladius bis acutus, cujus satera iusta est, & æqua sunt pondera, qui venturus est iudicare vivos & mortuos, Domini Jesu Christi, Amen. Iustus est Dominus, & iustitias dilexit, æquitatem vultus ejus. Vultus quidem Domini super facientes mala, ut perdat*

Labbe Conc.  
tom. 12. p.  
234.

de



Sæcul. XV.  
A. C. 1417.

de terra memoriam eorum. Pereat, inquit  
S. Propheta, memoria illius, qui non est re-  
cordatus facere misericordiam, & qui perse-  
cutus est hominem inopem & mendicum,  
Quanto magis pereat ille, qui omnes homi-  
nes & Ecclesiam universalem persecutus est,  
& turbavit, Petrus de Luna, Benedictus  
XIII a nonnullis nuncupatus, qui, quan-  
tum in Ecclesiam Dei, & universum popu-  
lum Christianum peccaverit, schisma & divi-  
sionem Ecclesiæ Dei fovens, nutriens, atque  
continuans, quantis quamque frequentibus,  
devotis, & humilibus Regum, Principum, &  
Prælatorum precibus, exhortationibus, & re-  
quisitionibus, charitative, juxta doctrinam  
Evangelicam admonitus fuerit, ut pacem da-  
ret Ecclesiæ, & illius vulnera sanaret, &  
ejus partes divisas in unam compaginem, &  
corpus unum reficeret, quemadmodum ipse ju-  
raverat, eratque & diu fuit in sua potesta-  
te: Quos tamen charitative corripientes nul-  
latenus voluit exaudire: Quot sint postmo-  
dum testes adhibiti, quibus etiam minime ex-  
auditis, necesse fuit, secundum prædictam  
Christi evangelicamque doctrinam dicere Ec-  
clesiæ. Quam quia etiam non audivit, ha-  
bendus sit tanquam Ethnicus, & publicanus:  
Capitula in causa inquisitionis fidei & schis-  
matis, coram præsentis S. generali Synodo su-  
per præmissis & aliis contra eum edita, ac  
illorum veritas & notorietas declaravit ma-  
nifeste. Super quibus rite & Canonice pro-  
cesso,



cesso, ac omnibus rite actis, ac diligenter in-  
 spectis, habitaque super ipsis deliberatione  
 matura: Eadem sancta generalis Synodus  
 universalem Ecclesiam repræsentans, in dicta  
 inquisitionis causa pro tribunali sedens, pro-  
 nuntiat, decernit & declarat per hanc defini-  
 tivam sententiam in his scriptis, eundem D.  
 Petrum de Luna, Benedictum XIII, ut præ-  
 mittitur nuncupatum, fuisse & esse perjurum,  
 universali Ecclesie scandalizatorem, fauto-  
 rem, & nutritorem inveterati schismatis, in-  
 veteratæ scissuræ & divisionis Ecclesie san-  
 ctæ Dei, pacis & unionis Ecclesie impedito-  
 rem, & turbatorem schismaticum, & hæreti-  
 cum a fide devium, & articuli fidei: unam  
 sanctam Catholicam Ecclesiam, violatorem  
 pertinacem cum scandalo Ecclesie Dei, in-  
 corrigibilem, notorium & manifestum, atque  
 omni titulo, gradu, honore, & dignitate se  
 reddidisse indignum, a Deo ejectum, & præ-  
 cisum, & omni jure, eidem in Papatu & Ro-  
 mano Pontificio ac Romana Ecclesia quomo-  
 dolibet competente ipso jure privatum, & ab  
 Ecclesia Catholica, tanquam membrum ari-  
 dum præcisum. Ipsumque Petrum, quate-  
 nus de facto Papatum secundum se tenet, ea-  
 dem sancta Synodus Papatu, & summo Pon-  
 tificio Ecclesie Romanæ, omnique titulo, gra-  
 du, honore, dignitate, beneficiis & officiis qui-  
 buscunque, ad omnem cautelam privat, & de-  
 ponit, & abjicit. Eidemque inhibet, ne de-  
 inceps pro Papa, aut Romano & summo Ponti-

Sæcul. XV.

A. C. 1417.



Sæcul. XV.  
A. C. 1417.

*Pontifice se gerat, omnesque Christicolæ ab  
ejus obedientia, & omni debito obedientiæ  
ipſius atque juramentis, & obligationibus ei-  
dem quomodolibet præſtitis absolvit, & abſo-  
lutos fore declarat: Ac omnibus & ſingulis  
Chriſti fidelibus inſubet, ſub pœnis ſautoræ  
ſchiſmatis & hæreſis, atque privationis om-  
nium beneficiorum, dignitatum, & honorum,  
eccleſiaſticorum & mundanorum, & aliis pœ-  
nis juris, etiamſi Episcopalis, Patriarchalis,  
Cardinalatus, Regalis ſit dignitas, ac Impe-  
rialis. Quibus ſi contra hanc inſubitionem  
fecerint, ſint auctoritate hujus Decreti & ſen-  
tentia ipſo factò privati, & alias juris in-  
currant pœnas: Ne eidem Petro de Luna  
ſchiſmatico & hæretico incorrigibili, noto-  
rio, declarato & depoſito, tanquam Papæ  
obediant, pareant, vel intendant, aut eum  
quovis modo contra præmiſſas ſuſtineant, vel  
receptent, ſibi que præſtent auxilium, conſi-  
lium, vel favorem. Declarat inſuper, & decer-  
nit, omnes & ſingulas inſubitiones, omnesque  
proceſſus, ſententias, conſtitutiones, & cenſu-  
ras & alia quæcunque per eum factos, factas,  
& facta, quæ poſſent præmiſſis obviare, ir-  
ritos, irritas, & irrita, atque irritat revo-  
cat, & annullat. Cæteris pœnis, quas in  
præmiſſis caſibus jura ſtatuunt, ſemper ſal-  
vis.*

§. XXXVIII.



## §. XXXVIII.

*Sententia ab Universa Synodo approbata.*Sæcul. XV.  
A. C. 1417.

Lecta hac sententia Episcopus Dolensis nomine Concilii alta voce dixit: *Quamvis in processu causæ hujusmodi nullus posset defectus allegari, tamen sancta Synodus ad superabundantem cautellam omnes supplet defectus, si qui intervenissent.* Ad quæ nomine totius Concilii Præses respondit. *Placet.* Deinde cantato Hymno: *Te Deum &c.* soluta est sessio. Eodem die etiam jubente Imperatore hæc Benedicti depositio sonantibus tubis per universas Constantiensis urbis plateas publicata fuit; quo facto pro sequenti sessione disponebantur necessaria.

## §. XXXIX.

*Sessio trigesima octava.*

Die vigesima octava Julii habita est Sessio, numero trigesima octava, cui Imperator non intererat. Missam cantavit Episcopus Assisinatensis. Ante omnia lectum est Concilii Decretum, quo omnes sententiæ, censuræ, Bullæ Benedicti XIII contra Legatos, propinquos, & familiares Regis Castellæ, & Henrici Castellæ Infantis a prima die Aprilis An. MCCCXVI. latæ irritantur. Postea e natione Hispana

*Labbe Conc:  
to. 12. p. 236.**Hist. Eccles. Tom. XXVI.*

U

na



Sæcul. XV.  
A. C. 1417.  
na quidam Commissarii adjunguntur illis, qui jam pro causa Episcopi Tridentini nominati erant. Quia vero Lusitaniæ & Castellæ Legati contradixerant privilegio Regi Arragoniæ concessio, vi cuius pro Prælati, aliisque Ecclesiasticis ditionis suæ ultra citraque mare sitæ jure suffragii gaudebat, & dicti Legati hanc concessionem Narbonnensi pacto contrariam esse contenderant, ideo Synodus decrevit, Regem Arragoniæ hoc jure non amplius uti posse. Aliud quoque editum erat Decretum, quod *Sperans in Deo*, unus ex Legatis Arragonensibus impugnavit, prætexens, illud a Nationibus conditum non fuisse. Cum vero ceterarum Nationum Deputati, hoc decretum a Nationibus fuisse confectum testarentur, illud in suo vigore permanfit.

## §. XL.

*Dissidia Cæsarem inter & Cardinales  
ob electionem Pontificis.*

*Vonder  
Hardt to. 4.  
p. 1415.*

PERACTA Benedicti depositione duo tantum negotia absolvenda supererant: nempe, reformatio Ecclesiæ in capite & membris suis, & electio Papæ. Verum quænam ex his duabus causis prius assumenda foret, perpetua lis erat inter partes. Reformationem Ecclesiæ præponendam esse Pontificis, creationi Imperator



perator contendit, Cardinalibus contra-  
 rium sentientibus, quibus etiam Archi-  
 episcopus Genuensis adstipulabatur. U-  
 trinque toto mense Augusto hac de re  
 tractatum, acriterque disceptatum. Gal-  
 lus quidam nomine Bernardus *Baptiza-*  
*tus* Abbas ex Ordine S. Benedicti in fa-  
 vorem prioris sententiæ orationem, aliam-  
 que aliquot ex post diebus de eodem ar-  
 gumento quidam Doctor, nomine Theo-  
 baldus habuit, & in utraque præcipue  
 vero in prima corrupti Clericorum mores  
 vivis admodum depinguntur coloribus.

Illis, quibus præmittendam esse ele-  
 ctionem præplacuit, sui quoque non de-  
 erant Oratores. In festo S. Ludovici,  
 Cardinalis Cameracensis in eandem sen-  
 tentiam verba fecit, & quamvis Clerum  
 reformandi necessitatem multis demon-  
 straret, tamen Ecclesia Capite suo desti-  
 tata, hoc fieri non posse contendit, affir-  
 mans: *quæ major est, & esse potest defor-*  
*mitas in corpore, quam carere capite, &*  
*acephalum esse?* & prosequitur: „Nulla  
 „ reformatio magis est necessaria, quam  
 „ promptissima per electionem Canoni-  
 „ cam constitutio Capitis, ab hac ini-  
 „ tium petendum, quia in maximo peri-  
 „ culo est Ecclesia, si capite caret. Ast  
 „ hæc Electio tam necessaria infinitis  
 „ dissensionibus impeditur, & dum unio-  
 „ nem intendunt, dissensionem faciunt.

U 2

„ Non-

Sæcul. XV.  
A. C. 1417.



Sæcul. XV., „ Nonne verendum est, ne in mediis hi-  
A C. 1417. „ sce diffidiis illud Scripturæ S. adim-  
 „ pleatur: *Omne regnum in se divisum de-*  
 „ *solabitur.* „

## §. XLI.

*Res Hussitarum in Bohemia.*

*Cochlæ. Hist. Hussit.* **U**niversitas Pragensis de administranda  
 Communione sub duplici specie, sta-  
 tutum condidit, quo majorem Cleri &  
 populi partem huic errori involvit. Wen-  
 ceslaus quoque metu adactus, multas  
 Hussitis concesserat Ecclesias, in quibus  
*Æn. Sylv. hist. Bohem. c. 36.* Sacramentum Calicis ministrarent. Bo-  
 hemiæ Clerus huic ut novitati sese op-  
 poneret, nil intentatum reliquit, sed  
 nullo valido fulciebatur præsidio; Imo  
 ipse Wenceslaus tantum aberat, ut regia  
 auctoritate turbas sedaret, quin econ-  
 tra, Praga relicta in quoddam castrum  
 secederet, suoque genio ibidem indulge-  
 ret, cum interea in toto suo regno pro-  
 ximum seductionis periculum immineret,  
 ac quævis flagitia, & rapinæ impune ex-  
 ercerentur.

## §. XLII.

*Turbæ ac cædes in urbe Pragensi  
 perpetratæ.*

**I**nterea temporis Hussitæ ædes Sacerdo-  
 tum diripiunt, atque in Prætorium ur-  
 bis



bis irrumpunt, ubi ex octodecim alias Sæcul. XV.  
 ibidem commorantibus septem duntaxat A.C. 1417.  
 Senatores, ceteris fuga dilapsis, compre-  
 hendunt, eosque in lancearum & ve-  
 rorum cuspides, quas seditiosi infra stan-  
 tes erigebant, e fenestris crudeliter pro-  
 jiciunt. Nec mitiora experiebatur fata  
 supremus Pragæ Ædilis, civesque re ac for-  
 tunis auctiores, qui iniquissimo tem-  
 pore in Prætorium tanquam Asyli locum  
 confugerant. Camerarius quoque regni,  
 ubi furentem populum Prætorii spoliis  
 necdum satiatum in suas etiam ædes rue-  
 re animadvertit, cum trecentis Equiti-  
 bus ad sedandos rebellium tumultus ac-  
 currere festinat, spe fretus, quod ejus  
 præsentia horum furorem placaret. Ve-  
 rum Hussitæ dignitatem Viri haud am-  
 plius reveriti, exiguumque Equitum nu-  
 merum aspernati, jam jamque eos aggre-  
 di parabant, dum Camerarius de sua vita  
 sollicitus opportune fuga sibi consulit, ad  
 arcem, qua Wenceslaus sese nuper rece-  
 perat, toto pedum studio contendens.

§. XLIII.

*Gerfonii tractatus de Communione  
 Laicorum sub utraque specie.*

Tantis malis prompta a Synodo adhiberi Gerfon.to. I.  
 remedia, maximæ prorsus difficulta-  
 tis res erat. p. 2. p. 57. Nihilominus Patres nullum

U 3 non



Sæcul. XV. non movebant lapidem, ut Laicos a Com-  
A. C. 1417. munionem sub utraque specie arcerent.  
 Quapropter Gersonius Synodi jussu composuit tractatum in quadam Congregatione publice prælectum. In eo docet, quod, quamvis scriptura sacra sit regula fidei, tamen quamdam expositionem recipiat, & interpretationem, quæ ultimo universalis Ecclesiæ auctoritati innitatur: hoc probat ex ipso modo, *quem tenent hæretici, qui doctores, & tales sæpe, qui sunt aliquando nullius auctoritatis & ponderis, valde diligenter allegant pro suis assertionibus colorandis & corroborandis.* Postea in secunda parte sui tractatus impugnat errorem docentium, Communionem sub utraque specie Laicis necessariam esse ad salutem, & cur calix merito Laicis subtractus fuerit, rationes proponit, quas præcipue fundat in multiplici periculo, irreverentia & scandalo, quod ex communi utriusque speciei sumptione oriebatur.

## §. XLIV.

*Epistola Imperatoris ad Bohemos.*

Imperator Gersonii argumentis permotus, ipse ad Bohemos dedit Epistolam, quæ erat inscripta Incolis Launæ oppidi vel vici Bohemiæ, ubi Hussitarum secta altiores egit radices. In præfatis literis

*Apud  
 Vander  
 Hardt  
 p. 1048.*



literis exponebat, se magno animi fui dolore intellexisse, quod, licet Wenceslaum & Nobiles iterato adhortatus fuisset, indies tamen mala crescerent, ac Clericis omnino expoliatis, sanctissima quæque polluerentur, ipsique Viri Ecclesiastici ejusmodi profanationibus consentire cogerentur, ac præterea Laici innumeris ferme crudelitibus Sacerdotes vexarent, atque carceribus mancipatos atrocissimis cruciatibus ad abjurandam fidem orthodoxam compellerent, necnon palam adversus Constantiensis Synodi Decretum de Communione frivola edicta affigere præsumerent. Accusat quoque Wenceslaum, tanquam horum criminum fautorem, aut saltem in hac causa perniciosæ conniventiae reum. Epistola hæc data est tertia Septembris, sed optato effectu caruisse videtur, Hussitarum enim furor non deferbuit, imo contra ipsum Sigismundum insurrexit.

Sæcul. XV.  
A. C. 1417.

§. XLV.

*Diffidia inter Bavariae Duces.*

Sub idem tempus fervida contentio inter Duces Bavariae exorta, non modice turbavit Constantienses Patres. Jam ante aliquot menses Guilielmus, & Ernestus fratres, ac Bavariae Duces, itemque Henricus eorum Patruelis Constantiæ







infectatus est. Hæc tamen caussa deci-  
 fa non fuit, & Duces, animorum exacer-  
 batione immoderatus crescente, totum  
 negotium ad aliud tempus idque oppor-  
 tunius differendum censuerunt.

Sæcul. XV.

A. C. 1417.

## §. XLVI.

*Turbæ in Galliis.*

In Gallia dominandi libido usque adeo  
 Ducis Burgundi obsedit animum, ut  
 Calleti colloquio cum Rege Angliæ  
 habito, inducias pro suis duntaxat ditio-  
 nibus renovaverit, qua agendi ratione  
 quodammodo fidem dederat, se Regi nul-  
 las unquam suppetias ministraturum.  
 Caeto demum Valentianas profectus,  
 Guilielmum Hannoniæ Comitem, nec-  
 non Delphinum generum suum invisit,  
 qui omnes tres de mutuo contra hostes  
 suos auxilio juratum foedus iniere. Tunc  
 primum Delphinus aperte contestatus est,  
 se Armeniacorum familiæ adversaturum,  
 promisitque Burgundo, se nunquam ni-  
 si eo comite aulam repetiturum. Qua-  
 propter inter eos sancitum, Hannoniæ  
 Comes ad aulam regiam sese conferret,  
 ut juxta præconcepta consilia inceptam  
 pertexeret telam, Delphinum tamen Com-  
 pendii relinqueret. Hic postquam ve-  
 niam redeundi pro Burgundo obtinere  
 nequiverat, Delphinum secum reducere

Juv. Ursin.

Hist. Car. VI

U 5 commi-



Sæcul. XV. comminatus est, quo comperto ipsummet  
 A.C. 1417. captivum detinere statuerunt, donec Del-  
 phinum Patriæ reddidisset, ille vero co-  
 gnito eorum consilio clam auffugit. Ut  
 autem mala ex hac confœderatione ori-  
 tura prævenirentur, Delphino ejus genero  
 venenum propinabatur, quo & die deci-  
 ma octava Aprilis mortem oppetiit.

## §. XLVII.

*Delphini obitus.*

Delphino e vivis erepto, hunc necnon  
 Turoniæ Ducis titulum unacum ju-  
 re successionis in Franciæ Regno adeptus  
 est Carolus ejus Frater, juratus Ducis  
 Burgundi hostis. Hujus focer Andegaven-  
 sis Dux in suspensionem trahebatur, quod  
 duobus fratribus natu majoribus, ut Ge-  
 nerum suum in solium evehere posset, mor-  
 tem procurasset, attamen si vera fuerit  
 accusatio, certe gaudium e scelere natum  
 non fuit admodum diuturnum; nam ip-  
 sus adhuc mense Augusto vita functus est.  
 Interea vero Rex, Delphinus, & Parisien-  
 sis civitas Connestabulis Armeniaci imperio  
 subdita erat, atque ejusdem potentiae sola  
 Regina quodammodo frænum injiciebat: sed  
 & ipsa Armeniaci artibus aula exire, &  
 Turonium tanquam captiva tendere jussa  
 est, cujus facinoris nunquam oblivisci poterat  
 Regina,



gina, semper inimica tam Armeniaco, Sæcul. XV.  
 quam Delphino Filio suo, cujus assensu, A.C.1417.  
 licet decimum sextum duntaxat ætatis  
 annum ageret, hanc sibi illatam fuisse  
 injuriam noverat.

## §. XLVIII.

*Universa ferme Normannia ab Anglis  
 subacta.*

Armeniacorum consilia peropportuna  
 acciderant Burgundiæ Duci, ut con-  
 ciliatis sibi pluribus urbibus, earum ope  
 Regi libertatem procurare posset. Ma-  
 gna Campaniæ pars, Picardia, & Insula  
 Franciæ Ducem ambobus brachiis exci-  
 piebant, utpote qui cunctas pecuniarum  
 exactiones abolebat. Hic ipse Corbe-  
 lium obsidione cinxit, quam tamen brevi  
 solvere coactus fuerat, ut Turonium ve-  
 niret, ubi frequentius cum Regina col-  
 loquebatur, quæ deambulationis obten-  
 tu ad majus Monasterium vulgo *Mar-*  
*moutiers* dedita opera accesserat. De-  
 mum etiam Burgundum Trecaus usque  
 comitabatur, ab eoque temporis articulo  
 regni administrationem sibi arrogabat.  
 Interea vero Angli dissensionum oppor-  
 tunitate usi, res suas continuato victoria-  
 rum cursu plurimum augebant, suæ enim  
 potestati subjecerunt Cadomum, Bajo-  
 cum, Falesiam, Argentonium, Alenfo-  
 nium,



Sæcul. XV.  
A. C. 1417

nium, totamque ferme Normanniam, excepto Chereburgo, quod tribus omnino mensibus hostium impetus elusit.

## §. XLIX.

*Locus pro conclavi selectus.*

*Vander  
Hardt to. 4.  
p. 1394.*

Cum omnia studia ad novi Pontificis electionem intenta essent, præprimis de loco ad proximum conclave opportuno Patres deliberabant, tandemque publicam Mercatorum domum (\*) alias *Bursam* dictam designabant, nec dissentiente Imperatore; fors enim sibi persuasum habebat, providam hanc Patrum dispositionem haud obfuturam, quominus reformationis negotium ceteris præferretur. Ast non eadem erat Cardinalium sententia; hi enim, ut votis eorum intentus colluderet successus, nullum non movebant lapidem. Quinimo libellum quemdam sat contumeliosum divulgare ausi sunt, in quo Germanos velut Hussitarum fautores traducere non dubitarunt, eoquod Pontificis electioni oblucentur, docerentque, quod Sede Apostolica certo vacante, Canones Papam eligi prohiberent, atque Ecclesia sine dispendio Acephala permanere valeret, donec reformatio

(\*) *Legitur in actis Concilii: major domus Communitatis.*



formatio Papæ, Cardinalium, ac Romane curiæ executioni data esset.

Sæcul. XV.  
A. C. 1417.

§. L.

*Libellus de necessitate eligendi Pontificem.*

Addit citatus libellus, schismaticos, atque Synodi perturbatores esse illos omnes, qui sub quocunque prætextu absque speciali Concilii mandato Imperatori quamdam jurisdictionem in Clericos attribuerent. Postea protulit argumenta, quæ promptam summi Pontificis electionem evincant, nempe diurnitatem Concilii, impendentis pestilentiae metum, Cæsaris ac nonnullarum Nationum contentiones, ac denique bella in quibusdam regnis, absentibus eorum Principibus exorta. Nec inter ceteras infima erat ratio, modica spes reformationis utiliter stabiliendæ, eo quod jam integro biennio Patres nequidem de præcipuo illius articulo, nimirum de statu Pontificis, & Cardinalium collegii convenire potuerint. Tandem cuncta, quæ objici possent, in præfato libello confutantur rationum momenta; hæc inter erant, Papam, si semel electus foret, ipsummet Ecclesiæ reformationem impediturum, Concilium quoque libertatis suæ jacturam

*Id. p. 1415.*

ram



Sæcul. XV. ram facturum, ac denique cunctos Syno-  
A. C. 1417. di Patres domum reversuros.

§. LI.

*Sarisberiensis Episcopi obitus.*

*Id. ib. p. 1414* Sincera Imperatoris studia pro restau-  
 randa Ecclesiæ disciplina intempesti-  
 ve funesta interceptit mors Roberti Halam  
 Sarisberiensis Episcopi, quarta Septem-  
 bris die fati functi, hic enim Sigismun-  
 dum ad prosequendum reformationis  
 negotium potissime stimulaverat. Ejus  
 quoque jussu, priusquam Pisanæ Synodo  
 initium datum esset, quidam Doctor O-  
 xoniensis quoddam elucubravat opuscu-  
 lum, cui titulus : *Quæstiones de reforma-  
 tione Ecclesiæ militantis.* Hunc ipsum li-  
 bellum Sarisberiensis secum Pisas, dein  
 Constantiam detulit, eo fine, ut reforma-  
 tionem persuaderet. Angli quoque,  
 quamdiu Robertus vita superstes erat,  
 Cæsarem in urgendo restaurandæ Eccle-  
 siæ studio strenue obfirmabant, eo autem  
 vivis erepto, & linguam & mentem mu-  
 tabant. Obiit Episcopus Gottlebiæ die  
 quarta Septembris, cujus corpus postera  
 die Constantiam delatum, solemni pom-  
 pa in Ecclesia Cathedrali die decima ter-  
 tia ejusdem Mensis terræ mandatum est,  
 ejusque exequiis Imperator, Principes &  
 Cardinales cum universo Clero intere-  
 rant.



rant. Hunc Joannes XXIII, Onuphrio Sæcul. XV.  
 teste, Cardinalem Presbyterum creavit A.C. 1417.  
 Anno Domini millesimo quadringentesi-  
 mo undecimo; attamen acta Concilii il-  
 lum hac prærogativa nusquam honorant.

## §. LII.

*Congregatio Nationum pro electione  
 Pontificis.*

Quinta ab obitu Episcopi die seu nona Ibid. p. 1419.  
 Septembris in Ecclesia Cathedrali  
 conventum celebrarunt Nationes, ut de  
 electione, ac revocanda disciplina deli-  
 berarent. In ea Cardinales unacum Ita-  
 lis, Gallis atque Hispanis exhibebant li-  
 bellum, in quo de dilata Pontificis ele-  
 ctione gravi verborum vi conqueruntur,  
 asserentes, timendum fore, ne ejusmodi  
 cunctatio Ecclesiam inficeret schismate  
 novo, eoque magis insanabili, quam præ-  
 sens esset, cui medelam quærere hucus-  
 que satagunt. His subjungunt, Cardi-  
 nales unacum tribus Nationibus, quæ se-  
 se illis associassent, haud segniori quidem  
 erga reformationem fervere studio, hanc  
 tamen omnino electioni Pontificis præ-  
 ponendam, haud sibi videri, eoquod nil  
 magis deforme in Ecclesia esset, quam  
 corpus sine capite, aliunde vero reforma-  
 tionem electioni præmittere, perinde esse,  
 ac si Concilii decretis, necnon Narbon-  
 ensi



Sæcul. XV.  
A.C. 1417.

nensi Capitulationi ex composito refragaretur, cum in illis unio Ecclesiæ constanter reformationi præponeretur; tandem asserebant, ex viginti quatuor Cardinalibus duos duntaxat Imperatoris sententiæ accedere, qui sibi pudori ducerent, confratrum suorum Collegium deseruisse.

§. LIII.

*Cæsar ob Cardinalium libellum indignatus.*

Cardinalium libellus tantopere Cæsaris animum commoverat, ut ulterioris lectionis impatiens, indignabundus cum Patriarcha Antiocheno e cætu abiret. Hujus dissidii occasionem Oratores Castellani, qui jam antea cum Arragonensibus de Sedis prærogativa contenderant, opportune in rem suam vertentes, Constantia excedebant; verum Imperator paucis ab urbe stadiis comprehendi iustos redire compulit. Idem quoque Cardinalibus inhibuit, ne sequenti die vel in Ecclesia Cathedrali vel in Episcopali Palatio convenirent; hi autem Imperatoris indignationem veriti, Electorem Brandeburgicum, necnon Senatum Constantiensem adibant, securitatis literas impetraturi, ut & ipsis tuto discedere liceret. Verum Elector eos, ut subsisterent, induxit.

§. LIV.



## §. LIV.

Sæcul. XV.

A.C. 1417.

*Altera Cardinalium congregatio pro  
electione Pontificis.*

Nec tamen propterea Purpurati vel latum unquam a proposito suo dimoveri poterant, sed sequenti die undecima Septembris denuo congregantur, ac libelli sui lectionem, quæ nuperrime ob Cæsaris discessum interrupta erat, absolvunt. Refert Schelstratus, quod Sigismundus perspecta Cardinalium constantia, primo omnes carceribus mancipare decreverit, postea tamen nonnisi sex eorum inclusit, octo quoque Episcopos relegandi consilium cæperit. Ast mitissimum Principem adversus neutrum eorum quicquam tentasse, longe credibilis est. Interim Cardinalium firmitas adeo expugnari non poterat, ut Senensem etiam ac Bononiensem Cardinales, Patriarcham Antiochenum, Mediolani Archiepiscopum, atque Adriensem Antistitem, qui Cæsari hucusque suffragabantur, ad suas traherent partes, quibus demum & Angli accesserant.

## §. LV.

*Germanorum libellus pro reformatione.*

Germani his minime territi, nequaquam victas dederunt manus, sed Synodo  
*Hist. Eccles. Tom. XXVI. X obtu-*



Sæcul. XV. obtulerunt libellum, partim ut objectum  
 A.C. 1417. sibi Hussitarum favorem, ac schismatis  
 propagati crimen diluerent, partim ut o-  
 perosius Papam eligendi studium nimis  
 præcox esse demonstrarent. Exponunt  
 igitur, Ecclesiæ ex eo, quod Sedes Apo-  
 stolica vacaret, haud adeo grave, ut illi  
 perhiberent, imminere periculum, cum  
 interea Synodus legitime congregata Ca-  
 pitis Ecclesiæ vices suppleret, schisma  
 autem ex corruptis Cleri moribus or-  
 tum traxisset, itaque ad præcavenda ejus-  
 modi mala salutari incumbendum esse re-  
 formationi, atque huic tanquam solidæ  
 basi ac fundamento proximam Pontificis  
 electionem superstruendam fore; agi e-  
 quidem de præficiendo Ecclesiæ Capite,  
 condignæ ergo Personæ selectum ab illi-  
 batae vitæ Viris esse suscipiendum, alias  
 enim Prælatum, quem in Papam e-  
 ligi contingeret, quantacunque demum  
 sanctitate fulgeret, iisdem pollui sordibus,  
 quibus Ecclesiastici, atque inter eos pri-  
 mis honoribus clari contaminati essent,  
 proin quasi in tenebris ac dubio pede in-  
 cessurum, utpote purioris lucis ac regu-  
 læ ducibus destitutum; eundem vero, si  
 probatæ reformationis Canones conde-  
 rentur, in his quasi inexpugnabile scu-  
 tum, atque munimentum certo habitu-  
 rum, quibus omnes iniquas, atque im-  
 portunas quorumcunque preces facile a-  
 vertere



vertere posset. Tandem Natio Germana omnes impendit vires, ut in tam salutari proposito Cardinalium assensum sibi conciliaret.

Sæcul. XV.  
A. C. 1417.

§. LVI.

*Germani Cardinalibus accedere sollicitati.*

Verum libellus iste, quamvis justitiæ ac prudentiæ legibus inniteretur, nihilominus Cardinales in sua sententia vehementius obfirmabat, adeo, ut & Germanos, sicut antea Anglos, ad sua studia pertraherent; Joannem quoque de Wallenrod Rigensem Archiepiscopum, necnon Joannem Abundi Episcopum Curiensem sibi propitios reddere satagebant, quod ambos magna apud Cæsarem gratia valere, probe nossent, cumque horum primus ad suum Archiepiscopatum tuto redire non posset absque gravi persecutionis periculo, quod sibi ab Equitibus Ordinis Teutonici, cui ejus Ecclesia subiecta erat, adhucdum insensis imminabat, ideo Cardinales eidem Leodiensium Episcopatum promittunt, ea tamen lege, ut in Electionem Papæ reformationis negotio præmittendam consentiret. Annuit Archiepiscopus Cardinalium votis. Episcopo autem Curiensi, utpote qui Fridericum Austriæ Ducem sibi in-



Secul. XV. A C 1417. fentiffimum habuit, Archiepiscopatum Rigenfem, quamprimum Papa electus eſſet, ſtipulati ſunt, hinc nec iſte ultra eis reſtitit.

## §. LVII.

*Natio Germana, & Imperator Cardinalibus cedunt.*

*Vander  
Hardt to. 4.  
p. 1427.*

Devictis hiſce Præſulibus, ceteri quoque ex Natione Germana ceſſerunt, & Imperator ab omnibus ſe derelictum comperiens, ipſus denique in electionem Papæ conſenſit, hac tamen lege, ut Pontifex immediate poſt electionem, imo etiam ante coronationem ſuam reformationis aggredereſur negotium, idque juncto Synodi conſilio perficeret, nec Conſtantia diſcederet, donec totum opus abſolutum eſſet, prout Cardinales Archiepifcopo Rigenſi, & Curienſi Epifcopo promiſiſſent. Hac tandem via compoſita eſt hæc diuturna adeo & vix non diſſolutionem Synodi ſpectans diſſenſio. Die vigefima tertia Septembris nominati ſunt duo Cardinales, quinque Epifcopi, unus Abbas, & alius Auditor Rotæ, qui jurgia inter Legatos Caſtellæ, Arragoniæ & Luſitaniæ circa præſidendi juſ exorta terminarent: aſt horum deciſionem ignoramus.

## §. LVIII.



## §. LVIII.

Sæcul. XV.  
A.C.1417.*Cardinalis Florentini obitus.*

Die vigesima sexta Septembris Synodus amisit illustrissimum corporis sui membrum, Franciscum Zabarellam sub nomine Cardinalis Florentini toti orbi notissimum. Rumor erat, infirmitatem ejus ortum traxisse ex immoderato animi æstu, quo in quapiam Congregatione undecima Septembris die habita pro electione Pontificis reformationi Ecclesiæ præmittenda vehementius perorasset. Certum est, quod ex isto coetu adversa valetudine correptus discesserit, & Poggius Florentinus in sua oratione funebri coram toto consessu habita testatur, Cardinalem, ubi in præfata congregatione morbo se corripere senserat, elata voce prænuñciasse, sermonem, quem tunc dixisset, totius suæ vitæ ultimum fore. Creatus est Cardinalis a Joanne XXIII, & omnium Historicorum testimonio constat, illum fuisse Virum, ingenio, prudentia, ceterisque virtutibus longe præstantissimum, eundemque, si electioni Pontificis supervixisset, hac dignitate augendum fuisse; neminem enim, ex toto Cardinalium collegio digniorem seligi potuisse, communis erat opinio. Die post obitum ejus secundo

Pogg. hist.  
Florent.

X 3

ingenti



**Sæcul. XV.** ingenti pompa in Ecclesia PP. Francis-  
**A.C. 1417.** canorum sepultus est, sed post quindecim  
 dies corpus ejus Patavium translatum  
 fuit, ubi denuo ipsi oratione funebri paren-  
 tatum. Scripsit quosdam commentarios in  
 S. Scripturam, Jus Canonicum, & dere-  
 formatione, & unione Ecclesiæ, quorum  
 tamen notitia Dupini solertiam effugit.

## §. LIX.

*Sessio trigesima nona.*

*Lab. Conc.*  
*tom. 12. p.*  
*238.*

**D**ie nona Octobris habebatur sessio tri-  
 gesima nona, cui Imperator interfuis-  
 se non videtur. Præcipua erat Patrum  
 cura, ut certos quosdam reformationis  
 articulos, antequam Pontifex eligeretur,  
 definirent.

## §. LX.

*Decretum de celebrandis Conciliis.*

*Ibidem.*

**L**ecta quoque nonnulla decreta, inter  
 quæ præcipuum respiciebat Concilio-  
 rum celebrationem, tanquam efficaci-  
 rem viam, qua hæreses, atque schisma-  
 ta præcaveri atque extinguere, corrupti  
 mores, & abusus corrigi, ac demum Ec-  
 clesia in suo decore conservari posset.  
 Igitur Synodus perpetuo sanxit edicto, ut  
 amodo Concilia generalia celebrentur, ita  
 quod primum a fine hujus Concilii in quin-  
 quennium immediate sequens, secundum vero a  
 fine



*fine illius immediate sequentis Concilii in se-* Sæcul. XV.  
*ptennium, & deinceps de decennio in decen-* A.C. 1417.  
*nium perpetuo celebrentur in locis, quæ sum-*  
*mus Pontifex ante finem cujuslibet Concilii,*  
*approbante & consentiente Concilio, assigna-*  
*bit. Si vero casus obsidionis, guerrarum,*  
*pestis, aut similis occurreret, tunc liceat sum-*  
*mo Pontifici de Cardinalium consensu alium*  
*locum subrogare, terminum quoque abbrevia-*  
*re, sed nullatenus . . . . . prorogare, quam*  
*tamen loci mutationem vel termini abbrevia-*  
*tionem per annum ante præfixum terminum*  
*indicare teneatur.*

## §. LXI.

*Decretum adversus Schismata.*

Secundum Decretum respiciebat schis- Ibid. p. 239.  
 matum tempora, & pro tali casu sta-  
 tuit: Quod a die, qua duo vel plures Pon-  
 tificatum publice assumpserint, intelligatur  
 terminus Concilii ad annum proximum abbre-  
 viatus, & sint omnes de Papatu contenden-  
 tes, postquam ipsum Concilium inceptum fue-  
 rit, ipso jure ab Administratione suspensi . . . .  
 ad quod Concilium Imperator Reges, & Prin-  
 cipes vel personaliter, vel per solemnes nun-  
 tios concurrant. Insuper decernit, quod  
 in fine cujuslibet Concilii, & quandocun-  
 que Romani Pontificis electio imminet facien-  
 da ante ingressum conclavis hoc decretum le-  
 gatur.



Sæcul. XV.  
A. C. 1417.

§. LXII.

Decretum de Professione fidei a Papa  
emittenda.

*Ibid. p. 241.* **T**ertium Decretum continet formam professionis fidei, quam quilibet deinceps in Romanum Pontificem eligendus, antequam ejus electio promulgaretur, coram suis Electoribus emittere teneretur. En formam illius a Synodo præscriptam: *In Nomine sanctæ & individue Trinitatis, Anno N. mense N. Ego N. omnipotenti Deo, cujus Ecclesiam suo præsidio regendam suscipio, & B. Petro Apostolo corde & ore profiteor, quamdiu in hac fragili vita constitutus fuero, me firmiter credere & tenere fidem Catholicam, secundum traditiones Apostolorum, generalium Conciliorum, & aliorum sanctorum Patrum maxime autem S. octo Conciliorum universalium, & illam fidem usque ad unum apicem, immutilatam servare & usque ad animam & sanguinem confirmare, defensare, & prædicare, ritum quoque Sacramentorum Ecclesie Catholice traditum omnimode sequi, & observare.* Nec silentio prætereundum cenfeo, quod Synodus in hac formula nominatim octo illa Concilia generalia enumeraverit, videlicet, primum Nicænum, secundum Constantinopolitanum, tertium Ephesinum, quartum Chalcedonense, quintum & sextum Constantinopo-



tinopolitanum, septimum item Nicaenum, Sæcul. XV.  
 octavum quoque Constantinopolitanum, A. C. 1417.  
 præter alia Concilia œcumenica, Lateranense, Lugdunense & Viennense.

§. LXIII.

*Decretum de translationibus.*

Quartum decretum disponit de translationibus Beneficiorum, *Cum ex Prælatorum translationibus, verba sunt Concilii, Ecclesiæ ipsæ plerumque gravibus in spiritualibus & temporalibus subiaceant dispendiis, Prælati quoque nonnunquam jura & libertates Ecclesiarum suarum translationis formidine non adeo solerter prosequantur, ne ad importunitatem quorundam, sua & non quæ Jesu Christi quærentium, Romanus Pontifex forsitan ut homo facti nescius, in hujusmodi circumveniatur, aut alias leviter inclinetur, statuimus, & ordinamus ejusmodi translationes absque magna & rationabili causa, quæ vocata parte cognita fuerit, & decisa de consilio Cardinalium vel majoris partis eorundem & cum subscriptione de cætero fieri non debere.* *Ibid. p. 241.*

§. LXIV.

*Decretum de spoliis Episcoporum, & procurationibus.*

Quintum Decretum concernit spolia Episcoporum, seu beneficiorum vacantium, *Ibid. p. 242.*



Sæcul. XV.  
A. C. 1417.

tium, & procurationes, id est, præstationes omnium, quæ Episcopis Visitantibus, pro eorum sustentatione & dignitate status tuenda necessaria sunt. Cum Pontifices sæpe ejusmodi procurationes, eas nempe sibi reservando, sibimetipsis appropriaverint, & collectores ad eas exigendas miserint, Synodus hunc abusum omnino abolet. Item quia Pontifices nominationem ad certa beneficia unacum eorum redditibus, quamdiu vacaverint, sibi reservaverant, ideo Concilium statuit; *quod quorumcunque Clericorum etiam in Curia Romana decedentium spolia seu bona eorum mortis tempore reperta plene & libere pertineant illis, quibus alias competere deberent, cunctis quoque Clericis hujusmodi spoliorum exactiones interdicit, additque constitutione felicitis recordationis Bonifacii VIII, quæ incipit: Pro Præsenti, super hoc edita specialiter in suo robore duratura.*

§. LXV.

*Imperator inter Bavaricæ Duces pacem conciliare conatur.*

Finita sessione Sigismundus, ut diffidia inter Bavaricæ Duces exorta componeret, comitia ordinum Imperii indixit, sed sinistro successu. Nam Ludovicus Ingolstadiensis lineæ, nimium feroci suo indulgens genio, usque adeo insultavit Hen-



Henrico Patrueli suo, ut eum furem, per-  
fidum, imo & Nothum appellaverit. Sæcul. XV.  
A. C. 1417.

Henricus Imperatoris præsentiam reveritus, in flagranti injuriam ulcisci distulit, eodem tamen adhuc die quibusdam Nobilibus, suisque familiaribus stipatus equum conscendit, Ludovicum per plateas euntem aggressurus.

§. LXVI.

*Henricus Bavarus Ludovicum Patru-  
lem suum vulnerat.*

Obvius ei venerat Ludovicus, comitan-  
tibus eum ephebis suis, quem e con-  
vivio Cæsaris domum redeuntem Henri-  
cus stricto ense in platea aggreditur,  
eumque pluribus plagis afficit. Ludovi-  
cus tamen, quamvis fauciatus esset,  
opportuna dexteritate Henrico arma  
excussit, illumque gladio transfixisset,  
nisi Nobiles eundem comitantes in tem-  
pore opem tulissent, tanto furore in Lu-  
dovicum irruentes, ut semianimis ex e-  
quo decideret. Imperator comperto fa-  
tali casu Henricum comprehendi jussit,  
cum vero præcipiti fuga in Bavariam di-  
lapsus esset, Imperio proscriptus fuit. Ele-  
ctor Brandenburgicus ejus affinis, flexis  
coram Imperatore genibus, pro Henrico  
veniam postulavit, tantumque suis effe-  
cit precibus, ut sententiæ dilationem ob-  
tine-

*Vindeck c. 71.*



Sæcul. XV.  
A.C. 1417

tineret, donec satis constaret, an Ludovicus ex vulneribus suis moreretur, vel sanus evaderet, qui quidem sanitatem recuperavit, sed semper inter Baviaræ Duces usque ad annum millesimum quadringentesimum trigesimum, quo Imperator illos sibi invicem reconciliaverat, ingens odium exarsit.

§. LXVII.

*Cardinales Decretum, de reformatione ante Pontificis electionem stabilienda condere recusant.*

*Schelft. añ.*  
*Conc. p. 269.* Equidem Imperator Papam ante reformationem Ecclesiæ eligi posse consenserat, decretum tamen a Synodo condi petiit, quo novus Pontifex, quamprimum electus esset, reformationi manum admovere adstringeretur, monuitque Cardinales, ut datam sibi fidem exsolvent. Propositæ sunt variæ hujus Decreti formulæ, verum Cardinales post diuturnas tergiversationes aperte respondebant, Pontifici leges præscribi non posse, nec ejus voluntatem esse ligandam, quo facto sane fidem violabant in ultima Sessione datam, vi cujus condito desuper Decreto se adlaboraturos spondebant, ut Papa, antequam aliis invigilaret negotiis, reformationem Ecclesiæ aggrediretur.

§. LXVIII.



## §. LXVIII.

Sæcul. XV.  
A. C. 1417.*Episcopus Vintoniensis Constantiæ.*

Cum interea hæc quæstio agitaretur, nuncium acceperunt Patres, Episcopum Vintoniensem Regis Angliæ Patrum, Ulmæ advenisse, inde Hierosolymas profecturum. Angli cum eum diffidentium animos componendi gratia dotatum, & unionis studiosissimum esse, haud ignorarent, auctores erant Parribus, ut illum Constantiam accedere rogarent. Anglorum votis acquiescere Patres, & ipsemet Imperator datis hunc in finem literis Episcopum invitavit. Synodus Episcopum Lichfeldiensem ei obviam misit, quo comitante, Peregrinantis habitu vestitus, Constantiam ingressus est, ubi aliquot diebus moratus, pari zelo ac prudentia huic negotio tam feliciter insudavit, ut tandem Synodus statuerit, condito decreto sancire, quod reformatio immediate post electionem Pontificis assumi, ejusque articuli per Nationes stabiliti expediri, & ad definiendum Electionis modum Deputati nominari deberent. Splendidum ac amplum nimis videtur hoc consilium, sed eo ipso exiguum protulit fructum.

*Vonder  
Hardt to. 4.  
p. 1447.*

## §. LXIX.

*Modus eligendi Pontificem definitus.*

Congrediuntur illico Nationes de reformatione



Sæcul. XV. A. C. 1417. mationis capitulis deliberaturæ, nominatque ab Imperatore Deputati, qui unacum Cardinalibus modum eligendi Pontificem definirent. Quæstio, an Cardinales, ut tales vel solummodo ut suarum Nationum deputati ad proximam Papæ electionem concurrerent, magna animorum contentione in duabus vel tribus Congregationibus agitata fuit, tandem die vigesima octava Octobris communi suffragio conclusum, quod sex Deputati cujuslibet Nationis unacum Cardinalibus in electione Pontificis suffragii jure gauderent, & hoc Cardinalium consilium approbatum fuit, additis tamen quibusdam limitationibus. Nil igitur reliquum erat, quam ut ea, quæ Cardinales inter, & Nationes conventa fuere, rati haberentur, cui negotio sequens sessio dicata erat.

*Schelstrat.  
Comp. chron.  
p. 68.*

## §. LXX.

*Sessio quadragesima. De reformandis  
a futuro Papa.*

Sessio quadragesima habita est Sabbato die trigesima Octobris absente Imperatore. Sacro per Cardinalem de Ursinis celebrato, Cardinalis S. Marci legit decretum, quo futurus Papa Ecclesiam reformare adstringeretur. En illius tenorem: *Sacrosancta generalis Synodus Constantinensis*



stantiensis, in Spiritu sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam repræsentans, statuit & decernit, quod futurus Romanus Pontifex cum hoc sacro Concilio vel deputandis per singulas Nationes debeat reformare Ecclesiam in capite & in membris, & curiam Romanam secundum æquitatem, & bonum regimen Ecclesie, antequam hoc Concilium dissolvatur, super materiis articuloꝝ alias per Nationes in reformatorio oblatoꝝ, quæ sequuntur.

Sæcul. XV.

A. C. 1417.

I. De numero, qualitate, & natione Cardinalium. II. De reservationibus Sedis Apostolicæ. III. De Annatis, communibus servitiis, & minutis. IV. De collationibus beneficiorum & gratiis expectativis. V. De causis in Romana Curia tractandis, vel non. VI. De Appellationibus ad Romanam Curiam. VII. De Officiis Cancellariæ & Pœnitentiariæ. VIII. De exemptionibus & incorporationibus tempore schismatis factis. IX. De Commendis, X. & Confirmationibus Electionum, XI. De fructibus mediæ temporis. XII. De non alienandis bonis Romanæ Ecclesie. XIII. Propter quæ, & quomodo Papa possit corrigi vel deponi. XIV. De extirpatione simonice. XV. De dispensationibus. XVI. De provisione Papæ & Cardinalium. XVII. De Indulgentiis. XVIII. De Decimis. Synodus subjunxit, quod facta per Nationes deputatione, ad efficiendam



Sæcul. XV. A. C. 1417. dam hanc reformationem, liceat aliis de licentia Papæ libere ad propria remeare.

## §. LXXI.

*Aliud Decretum de absentia Cardinalium Benedicti.*

Conditum est adhuc aliud decretum, quod juxta mentem articuli Narbonensis Capitulationis de admittendis ad Synodum Cardinalibus Petri de Luna, statuit: *Cum post notoriam ejectionem Petri de Luna præfati Cardinales infra tres menses expectati non venerint, fore ad electionem Romani Pontificis procedendum, non obstante ipsorum absentia; quos si ante consummatam electionem venerint, & eidem Concilio adhæserint, ad electionem admittendos declarat.*

## §. LXXII.

*Decretum de modo & forma eligendi Papam.*

Tertium insuper Decretum lectum fuit de modo & forma eligendi Papam, cujus hæc est summa: *Ut electio futuri Pontificis firmiori auctoritate & plurium roboretur assensu, & ne ulla retractatio ullusve scrupulus in mentibus hominum resideat, sed ex illa sequatur unio certa, vera plenissima, & perfecta fidelium, S. Synodus de speciali & expresso consensu Cardinalium ordinat*



nat & decernit, quod hac vice duntaxat ad eligendum summum Pontificem sex Prælati vel alie honorabiles Personæ Ecclesiasticæ de qualibet Natione infra decem dies eligendæ Cardinalibus adjungantur. Quibus omnibus eadem Synodus eligendi Pontificem secundum formam expressam tribuit potestatem, videlicet, quod ille ab universali Ecclesia Romanus Pontifex habeatur, qui a duabus partibus Cardinalium & a cujuslibet nationis duabus partibus electus fuerit, quodque non valeat electio, nisi duæ partes cum Cardinalibus ad eligendum adjunctorum consenserint in Pontificem eligendum. Hoc etiam adjecto, quod Prælati, & alii cum Cardinalibus adjungendi omnes Constitutiones Apostolicas, etiam pœnales circa electionem Romani Pontificis editas, atque consuetudines observari consuetas, quemadmodum & ipsi Cardinales observare, & insuper jurare teneantur, quod in hujusmodi electionis negotio puris & sinceris mentibus & quantum credant publicæ utilitati Ecclesiæ proficere, omni cujuscunque nationis, personæ, vel alio inordinato affectu, odio, gratia vel favore abjectis procedere attendant; Insuper ordinat eadem S. Synodus, quod infra decem dies omnes Electores intrent ipsum conclave ad electionem hujusmodi celebrandam. Perlectis omnibus hisce decretis, Cardinalis Vivariensis Præses nomine Concilii respondit: *Placet.*

Sæcul. XV.  
 A.C. 1417.

*Hist. Eccles. Tom. XXVI, Y §. LXXIII.*



Sæcul. XV.  
 A. C. 1417.

§. LXXIII.

*Gravis contentio circa Articulum de  
 Annatis.*

Inter Articulos reformationis Cardinales inter, & Nationes agitados, ille, qui Annatas tangit, maxima animorum contentione ac fervore ultro citroque discutiebatur. Annatæ solent vocari illud jus, vi cujus Pontifices fructus primi anni beneficiorum vacantium, v. g. Archiepiscopatum, Episcopatum, Abbatiarum, Prioratum, aliorumque in universo Christiano orbe percipit. Hoc jus a tempore Clementis V. stabilitum legimus, qui Angliæ pro tribus annis imposuit Annatas, Senatu tamen reclamante. Ex post non amplius tanquam debitum, sed velut subsidium exigebantur; Bonifacius IX primus eas pro jure dignitati summorum Pontificum annexo habuit. Carolus VI. Galliarum Rex hoc jus suppressere meditabatur, cumque Synodus Constantiensis congregata esset, suis Legatis injunxit, ut approbationem libertatum Ecclesiæ Gallicanæ præcipue quoad articulum de Annatis postularent; Sed huic petito Cardinales fortiter obluçtati sunt, hujus juris usum conservandum esse rati, eo quod Pontificibus, & Cardinalibus pro suo statu necessaria subministranda, abusum vero, si quis forte irrepsisset, aut immodicæ



dicæ forent taxationes, reformandum Sæcul. XV.  
 censerent. Sed inde non modicæ exor- A C. 1417.  
 tæ sunt contentiones.

Proposita hæc Cardinalium sententia  
 eo rediit, „ ut ab Ecclesiis & Monaste-  
 „ riis vacantibus taxæ in libris Camerae  
 „ Apostolicæ expressæ solvantur, quibus  
 „ Pontifex, & Cardinales pro dignitate vi-  
 „ verent, & reformentur taxæ immode-  
 „ ratae, & præstentur duntaxat una vi-  
 „ ce pro Ecclesia, vel monasterio, in eo-  
 „ dem anno bis vacantibus. „ Postquam  
 hæc declaratio Nationibus porrecta fuit,  
 illæ septem omnino diebus desuper deli-  
 berarunt, tandem vero concluderunt, An-  
 natas pro præterito, præsentis & futuro  
 tempore penitus abolendas esse. Quibus  
 Cardinales sese opposuerunt, atque juris  
 hujus tuendi provinciam commiserunt  
 Joanni de Scribanis Promotori, qui a  
 Nationum decreto ad futurum provoca-  
 vit Pontificem. Natio Gallica, utpote  
 quæ hanc litem potissimum suam fece-  
 rat, appellationem Cardinalium scri-  
 pto admodum elaborato, ac solido im-  
 pugnavit, cui titulus: *Gallicæ Natio-*  
*nis declaratio contra Cardinales Appellantes*  
*de Annatis non solvendis.* Typis impres-  
 sum habetur in operibus Nicolai Cleman-  
 tium, cui tamen falso adscribitur.

*In Fascicu-  
 lo Esc.  
 Per Orthui-  
 num Gra-  
 tium,  
 Dupin. hist.  
 XV. sæcul.*



Sæcul. XV.

A. C. 1417.

§. LXXIV.

*Natio Gallica respondet Cardinalibus  
Annatas urgentibus.*

Dupin. Bibl.  
tom. 12. p. 23.

Docent Galli, Annatas nullo privilegio, nullave præscriptione fulciri posse, nec ullam juris dispositionem Annatis suffragari, exceptis Beneficiis in Curia vacantibus; eas originem suam repetere a Joanne XXIII, cum ille aliquam partem fructuum ex dignitatibus & beneficiis (exceptis Abbatiis) sibi pro certo quodam itinere ultramarino, aliisque necessitatibus reservasset; hancque ob causam in Anglia Abbacias ab hoc onere immunes esse, imo a dicto Papa aliquos etiam Episcopos fuisse exemptos, & constitutionem suam variis conditionibus limitatam; post ipsum vero plures alios Pontifices ejusmodi reservationes fecisse ob rationes inibi expressas; Clerum, Principes, & populum quandoque eas tolerasse, quandoque vero se nimium earum pondere premi sentientes, solvere recusasse, ut in Anglia factum, quin justitiæ legibus contravenissent, præcipue causis, in quibus fundarentur, cessantibus: addebant, exactionem annui fructus a Prælaturis & Abbatiis vacantibus ex spontanea ac gratuita descendisse oblatione S. Sedi facta ab iis, quorum electio facta fuisset, dictumque *servitium commu-*

ne,



ne, eo quod inter Curiaë Romanæ officia-  
 les distribueretur; successu temporis ve-  
 ro transiisse in legem sub obtentu consue-  
 tudinis. Inde taxata fuisse beneficia: hanc  
 autem exactionem esse simonicam, vel  
 saltem de simonia suspectam, proin nulla  
 consuetudine aut proscriptione honestan-  
 dam. Tandem esto, Annatas juste olim  
 exigi potuisse, tamen hodie dum eas ab-  
 olendas ob scandala, violentas extorsio-  
 nes, lamenta, oppressiones & lites, quæ  
 inde ortæ fuissent, ac indies orirentur:  
 Galliam *provisorio* modo easdem abrogaf-  
 se, illas tamen omnino supprimi, a Papa pe-  
 tiisse, huncque id se facturum spondisse;  
 Jam vero Gallos, ut penitus abolerentur,  
 in præsentis Synodo iterum impensius ro-  
 gare. Cuncta ista prolixius probantur.

Deinde respondetur rationibus a Pro-  
 motore Scribanio allatis, quibus Natio-  
 num sententiam infringere, & annatas  
 vindicare conabatur. Hic carpebat mo-  
 dum, quo ejusmodi decretum conditum  
 fuit, nempe absque scrutinio, & deputa-  
 tis Nationum desuper non instructis. Re-  
 spondent Galli, nulla se lege adstrictos  
 esse, ut semper per viam scrutini proce-  
 derent, sed plura negotia viva voce ex-  
 cussa fuisse, quamvis præsens caussa mo-  
 re solito præprimis ad Nationum Depu-  
 tatos delata fuerit. Scribanius tanquam  
 principale fundamentum allegat, æquum



Sæcul. XV.  
A.C. 1417.

esse, ut inferiores Ecclesiæ a Romana dimanantes, necessaria Pontifici atque Cardinalibus subministrarent. Cui responsum: Romanus, æque ac reliqui Episcopi suæ sustentationi congruos habent redditus, qui si non sufficiant, Clerus suæ Civitatis ac dioeceseos aliæque Ecclesiæ succurrere poterunt charitativo subsidio temporali, & habita necessitatis ratione, nunquam vero per modum perpetui census præstando. De cetero, quamvis Ecclesia Romana sit prima & omnium aliarum Magistra ob virtutes, & merita S. Petri, necnon reliquorum ab ea exeuntium Episcoporum, non tamen ceteras præcessit, prior enim tempore erat Ecclesia Græca; Cardinales vero considerari possunt, vel tanquam Parochi, & suorum titularum Episcopi, atque ut tales Parochialibus, & Episcopalibus fungi debent muniis, vel tanquam Consilarii Pontificis, quo pacto non sunt ejus coadjutores, hoc enim Episcopis, & quidem potiori nomine, quam Cardinalibus ex Jure divino competit, quamvis hodie dum hi Episcopis superiores esse ambiant, eosque contemnant, aliunde vero ad tuendam suam dignitatem sufficientibus divitiis atque auctoritate polleant.

Ad titulum vero possessionis, quem Scribanus allegat, eoque Pontificem, ejusque Cardinales in ipso etiam Galliarum

rum



rum regno munitos esse asserit, respon-  
 dent, hi ad firmandam hanc possessionem  
 nunquam ejusmodi titulo gaudebant, &  
 si aliquando Annatas percipiebant, id fa-  
 ctum ex eo, quod ultro illis permissum,  
 atque toleratum fuisset; præsertim cum  
 summa, quam titulo Annatarum Pontifices  
 exigebant, immodica foret, nam juxta ta-  
 xationem Camerae Apostolicæ pro Episco-  
 patibus & Abbatiis solius Franciæ ad sex-  
 centa nonaginta millia, & septingentas  
 quinquaginta libras Galliæ, & computatis  
 singulis Nationibus fere ad septuagies cen-  
 tena millia ascendit; Papæ autem & Car-  
 dinalibus absque his redditibus sufficien-  
 ter provisum est, præterquam natio Gal-  
 lica aliunde eis assignavit redditus septua-  
 giata millium librarum. Cur vero hæc  
 Natio ceteris ardentius hanc causam in-  
 sequatur, ratio est, quia & illa præ reli-  
 quis graviori opprimitur onere, quippe  
 Camera Apostolica ex Anglia duntaxat  
 percipit fructus paucorum quorundam  
 vacantium Episcopatum, nec ibi Cardi-  
 nalibus Beneficia possidere permittitur,  
 ex Hispania vero omnino nihil recipit, Ita-  
 liæ autem beneficia satis jejuna sunt, &  
 quando Dioecesani se nimium gravatos  
 sentiunt, omnem exactionem prohibent,  
 prout nuperrime Florentiis contigit, ubi  
 ob abusus a Joanne XXIII. in cujusdam  
 Abbatiae collatione commissos, Sacra se-

Sæcul. XV.

A. C. 1417.



Sæcul. XV.  
A. C. 1417

des per quinque annos dicti status Beneficia conferre interdicta fuit. Denique in Germania nonnullæ duntaxat Ecclesiæ quicquam Cameræ Apostolicæ elargiuntur, in reliquis vero statibus omnino nihil Papæ tribuitur, imo nequidem brevia Apostolica acceptantur, nisi & in quantum Episcopis placent, qui non raro ea non acceptant, denegando solitum: *Vidimus.* Sola ergo Francia est, quæ, quia obedientia ac pietate erga Sedem Apostolicam ceteris eminent, immodice gravatur. Postmodum ostendere conantur imbecillitatem responsionum, quibus Joannes de Scribanis Annatis adversantia elidere studebat, argumenta etiam, quibus eas a simoniæ labe vindicavit, speciatim refutant, tandem vero concludunt, Scribani, ac Cardinalium appellationes ad futurum Papam ex hoc capite non esse admittendas, nec audiendas, prout natio Gallica nec illis deferre neque sententiam mutare intendit, sed earum suppressionem tam in Concilio, quam ubique, prout opus erit, prosequi meditatur. Hæc est Synopsis Gallicæ protestationis, cui ansam dedit controversia jam Anno millesimo quadringentesimo decimo quinto suscitata, ad quam natio Gallica suum responsum sive protestationem, ut vocant, in quadam Congregatione hanc in rem die decima quinta Octobris ejusdem anni



ni habita porrexit. \* Nos vero illam Sæcul. XV.  
A. C. 1417.  
hic inferuimus, eo quod non nisi in Sessio-  
ne XL potissimi describerentur reforma-  
tionis Articuli, quos inter præcipuus erat  
de Annatis. Verum non modo flocci  
habita

(\*) Quæ perperam aduersus Annatas per-  
cipiendi jus allata fuerunt, satis superque con-  
futata inveniuntur passim apud Theologos,  
ac Juris Pontificii peritos. Nobis sufficiant  
huc referre, quæ Carolus Pleffis d'Argentre Do-  
ctor Sorbonicus & Episcopus Tutellensis de  
pactis inter Leonem Papam X. & Franciscum I.  
Galliarum Regem erectis scribit. *Equidem,*  
*inquit ille, hæc pacta pro tempore utilia erant,*  
*Et a summo Pontifice prudenter admissa, ne Prag-*  
*matica sanctio jurisdictioni Romani Pontificis,*  
*tum etiam ceterorum Episcoporum nimium dero-*  
*gans, proximo schismati occasionem daret in*  
*Galliis. Sed cum extraordinaria sit illa Con-*  
*stitutio, sive dispensatio, qua Episcoporum, &*  
*Abbatum Electio ad Regem translata est, Eccle-*  
*siarum Antislites videant, an ad prislinum mo-*  
*rem electionem ab Apostolis institutum redire*  
*oporteat, quam citius id fieri poterit. Nam ex-*  
*traordinaria dispensatio non in perpetuum dura-*  
*re debet, si libertatem Ecclesiæ, & splendorem*  
*imminuat. Sed, Et multis videtur, Cathedrales*  
*Ecclesiæ Galliarum, ex quo tempore electionibus*  
*Privatæ sunt, fere vilescunt, in ea tempora inci-*  
*dimus, ut pro una Annata, hoc est, pro fructibus*



Sæcul. XV. habita est a Synodo ejusmodi protestatio,  
A. C. 1417. sed etiam articulus, prout a Cardinalibus  
 propositus fuerat, acceptabatur.

## §. LXXV.

*Preliminaria ad Conclave.*

*Vonder  
 Hardt to. 4.  
 p. 1460.*

Interea præparatum est Conclave quin-  
 quaginta tribus cameris distinctum,  
 quas per sortem ita distribuerunt, ut tri-  
 ginta cederent Nationum Deputatis, ac  
 proin quælibet sex occuparet cameras,  
 reliquæ vero viginti tres totidem Cardi-  
 nalibus assignarentur, supra quarum portas  
 singuli sua nomina ac insignia inscripta ha-  
 bebant.

*unius anni, trium quatuorve, aut ad minimum,  
 duorum annorum fructus, & proventus ab eo, qui  
 ad Episcopatum designatus est, exigantur. Un-  
 de fit, ut jam in Galliis nemo Episcopus inau-  
 guretur, nisi alieno ære gravatus, imo oppressus  
 ad multos annos. At si libera electio cujusque  
 Episcopi Cathedrali Ecclesiæ secundum antiquissi-  
 mam disciplinam restitueretur (cui quidem electio-  
 ni nonnullus Procurator Regis adesset) tum ad  
 Romanum Pontificem electus recurreret, ut le-  
 gitima electio Apostolica auctoritate confirmave-  
 tur, & paucos denarios daret pro modicis ser-  
 vitiis Scribarum, & Ministrorum Curie Ro-  
 manæ, sicut olim in usu erat. Ita Argentreus in  
 Galliis Episcopus Collect. Jud. de nov. errori-  
 bus tom. 1. part. 2. fol. 352.*



bebant. Cunctis ita dispositis Imperator ad  
 sonitum tubæ edictum promulgari iussit, Sæcul. XV.  
A. C. 1417.  
 quo cautum, ne quis toto, quo inclusi  
 essent Electores, tempore, ultra præscri-  
 ptos loci terminos ad Conclave accede-  
 ret, aut Cardinalis in Papam eligendi  
 Palatium invadere vel spoliare præsume-  
 ret. Edictum hoc latino, ac Germano  
 sermone conceptum, per Comitem de  
 Pappenheim Imperii Marescallum, & Hen-  
 ricum de Ulin Constantiensem Consulem,  
 præcedentibus quatuor Fecialibus, publi-  
 catum fuit, dein Italice quoque ac Gallice  
 redditum fuisse constat.

§. LXXVI.

*Sessio quadragesima prima. Sermo  
 Episcopi Laudensis.*

Quæ omnia confirmata fuere in Sessio- Labb. Conc.  
tom. 12. p.  
246.  
 ne XLI die octava Novembris ha-  
 bita, cui & Cæsar cum omnibus Princi-  
 pibus interfuit. Sacro solemni per Car-  
 dinalem S. Marci peracto, Episcopus Lau-  
 densis sermonem habuit in hæc verba  
 4. Reg. c. 10. *Eligite meliorem.* Boni Pon-  
 tificis partes egregie adumbravit, in eo  
 desiderans integritatem morum, doctri-  
 nam, capacitatem, seu in administranda  
 Ecclesia prudentiam. *Opus est, inquit,  
 bono Governatore navis, si naufragium im-  
 minet, opus est bono Medico tempore conta-  
 gionis,*



Sæcul. XV.  
A.C. 1417.

gionis, opus est præstantissimo Pastore, si Pastores & greges dilabuntur, ut in ovile reducat. Itaque eligite, qui se Regibus exhibeat Joannem Baptistam, Ægyptiis Moysen, fornicantibus Phineem, Idololatriæ Eliam, mentientibus Petrum, avaris Eliscæum, blasphemantibus Paulum, & negotiantibus Christum. Finito hoc sermone lectum fuit Evangelium D. Joan. c. XIV. v. 15. Si diligitis me, mandata mea servate. Postea Petrus de Limburgo legit Constitutionem Clementis VI, qua præscribitur modus & norma, quam Cardinales in conclavi existentes tam in victualibus, quam in stratis atque famulatio servare tenerentur, in illa enim statuitur, quod nullus de alterius ferculo vesci possit, eis quoque duo tantum permittuntur famuli, lecti intermedia seu velamina simplicium tantummodo cortinarum habeant pure ob decentiam honestatis.

§. LXXVII.

Capitula juranda per Electores  
Papæ.

Labbe Conc. **I**dem Petrus postmodum legit Articulos, quos Papam electuri, & Conclavis Custodes observare, & jurare tenerentur.  
I. Infra decem dies a die lati decreti, id est ab octava Novembris infra occasum solis intrent conclave. II. Quilibet non habeat ultra



ultra duos servientes Clericos vel laicos, quos Sæcul. XV.  
A.C. 1417.  
 duxerit eligendos. III. In Conclavi simul  
 inhabitent nullo medio pariete, vel alio vela-  
 mine, nisi quando dormient, vel quiescent. IV.  
 Ita claudatur conclave, reservato aditu ad  
 secretam cameram, quod nullus intrare va-  
 leat vel exire. V. Nulli liceat ad ipsos E-  
 lectores nuntium mittere vel scripturam. VI.  
 In ipso conclavi competens sit fenestra, per  
 quam Electoribus & servitoribus vitæ ne-  
 cessaria ministrantur, per quam tamen nulli  
 possit patere accessus. VII. In singulis die-  
 bus, præter panem, vinum, & aquam, in  
 prandio unum, & in cena unum duntaxat  
 ferculum carniū unius speciei tantummo-  
 do, aut piscium aut ovorum cum uno pota-  
 gio de carnibus vel piscibus, & decentibus  
 salsamentis, habere valeant, ultra carnes sa-  
 litas & herbas crudas, ac caseum, fructus si-  
 ve electuaria; Ita tamen, ut quo diutius  
 in Conclavi morarentur, juxta Constitu-  
 tionem Clementis VI. ferculorum nume-  
 rus restringeretur. VIII. Nullus intrare  
 compellatur conclave, nisi omnes recusarent,  
 quia tunc cogendi sunt. IX. Volentibus  
 exire permittatur, sed si omnes exirent, Pa-  
 pa non electo, reintrare compelluntur, nisi  
 quos excusat infirmitas. Sed qui sine causa  
 infirmitatis exiverit, amplius non admittitur,  
 nisi omnes exirent. X. Exiens pro caus-  
 sa infirmitatis, ac etiam absentes, si superve-  
 nerint re integra, videlicet antequam de Papa

fit



Sæcul. XV. sit provisum, admittatur in conclave, in statu, in quo erit electionis negotium.

Custodes Conclavis jurent, quod præmissa omnia, sine fraude, & dolo inviolabiliter faciant observari, neque Cardinales, & alios Electores ultra præmissa coarctabunt, nec permittent per alios coarctari. Item, si Dominus Rex est præsens, debeat ab eo juramentum recipi.

§. LXXVIII.

*Nomina Custodum Conclavis.*

*Labbe Conc. to. 12. p. 248.* **H**orum capitulorum Lectione absoluta omnes illi, qui jurare tenerentur, alta voce nominatim recensebantur, & primi vocati sunt custodes Conclavis, nempe Fridericus Marchio Brandeburgensis; Guilielmus Comes de Henneberg; Philippus magnus Rhodi Magister; Bronorus seu Bruno de scala, Veronensis Dominus; Joannes Raymundus Floch Comes de Cardone; Ferdinandus Petrus de Ayala Miles de Castella; Martinus Ferdinandi, & Raymundus Aymar Nobiles Hispani; Bertholdus Comes de Ursinis; Guntherus Comes de Schwartzenburg; Ludovicus Comes de Oettingen; Hubertus de Sabaudia Nobilis Northus; Hugo Comes de Haungheberg; Sancius & Stanislaus nobiles, & socii Legationis Polonicæ. Postea latino & Germanico



manico idiomate lecta fuere Capitula Sæcul. XV.  
A.C. 1417.  
superius relata, quorum observantiam  
interposito Sacramento sponderent, &  
duo Cardinales librum Evangeliorum &  
Crucem gestantes ad Imperatoris Thro-  
num accesserunt, in quorum manibus  
Cæsar Cruce, ac Evangelii libro conta-  
ctis juravit, se præfatos articulos obser-  
vaturum, ceteri quoque sigillatim ad  
Præsidis pedes genuflexi, & crucem ac  
Evangelium tangentes hoc juramentum  
præstiterunt, quod etiam illi exsolvebant,  
quibus incumberet circa conclave ingres-  
sis de victu providendi. Hi vero erant  
Episcopus Concordiensis, & Abbas Tre-  
norcensis pro Cardinalibus; Pandulphus  
de Albiano Protonotarius pro natione I-  
tala; Theobaldus Archiepiscopus Bisun-  
tinus pro Gallica; Nicolaus Merseburgen-  
sis Episcopus pro Germana; Petrus E-  
piscopus Olorensis pro Anglica; & Se-  
goviensis Ecclesiæ Decanus pro natio-  
ne Hispana.

§. LXXIX.

*Nomina Nationalium pro electione  
Papæ Deputatorum.*

His juramentis sic præstitis Archiepis-  
copus Mediolanensis legit nomina Onuphr. vit.  
Pontif. p. 275  
eorum, qui pro eligendo Papa, jubente  
ac seligente Concilio, Cardinalibus ad-  
juncti



Sæcul. XV.  
A.C. 1417.

uncti fuere, ut sequitur: Joannes Patriarcha Constantinopolitanus; Joannes Archiepiscopus Rigenfis; Bartholomæus Mediolanensis; Guilielmus Bituricensis; Nicolaus Gnesnensis; & Jacobus Turo-nensis, omnes Archiepiscopi, & inter Episcopos Richardus Londinensis; Nicolaus Bothoniensis; Didacus Conchen-sis; Joannes Pacensis; Joannes Gene-venfis; Franciscus Mefitensis vel Mel-fienfis, quem Infantius Meldensem fuisse existimat; Henricus Feltrenfis; Nico-laus Aquensis; Simon Traguriensis; Joannes Lichfeldensis; & Joannes Nor-vicensis; Jacobus electus Episcopus Pen-nensis. Præter hosce Præsules nomina-bantur Abbates Cluniacensis; & S. Ma-riæ Eboracensis; Generalis FF. Prædi-catorum; Decanus Ecclesiæ Eboracen-sis; Archi-Diaconus Bononiensis; Prior Rhodi; & sex Doctores ex variis Natio-nibus. Postea ex parte Cardinalium duos vel tres deputatos esse nominandos propositum fuit, qui dissensiones forte in-ter Conclavis custodes orituras decide-rent.

§. LXXX.

*Nomina Cardinalium conclave ingres-sorum.*

Ciacon. in  
Mart. V.  
p. 884.

Quamvis Cardinalium sicut ceterorum nomina alta voce non fuissent per-lecta,



lecta, tamen ea huc recensere abs re non  
 erit. Horum numerabantur viginti tres, Sæcul. XV.  
A.C. 1417.  
 nimirum Joannes de Bronchiaco Cardi-  
 nalis Episcopus Ostiensis, & Vivarien-  
 sis, Cardinalium Decanus ac Ecclesiæ  
 Romanæ Vice-Cancellarius, Gallus; An-  
 gelus de Anna Episcopus Laudensis, Car-  
 dinalis Pænestinus; Petrus Ferdinandi  
 Uries Hispanus, Cardinalis S. Sabinæ;  
 Jordanus ab Ursinis Romanus, Cardina-  
 lis S. Albani, Major Pœnitentiarius; An-  
 tonius Corario Venetus, Patriarcha Con-  
 stantinopolitanus, Cardinalis S. Crucis;  
 Joannes Dominici Florentinus Cardinalis  
 S. Sixti; Antonius Pancerinus, Foroju-  
 liensis, Patriarcha Aquilejensis Cardina-  
 lis S. Susannæ; Alamandus Adimarius,  
 Florentinus, Cardinalis S. Eusebii; Ga-  
 briel Condulmerius Venetus, Cardinalis  
 S. Clementis; Petrus de Alliaco Gallus,  
 Cardinalis S. Chryfogoni, sub nomine  
 Cardinalis Cameracensis magis notus;  
 Thomas Brancatius Neapolitanus, Cardi-  
 nalis SS. Petri & Marcellini; Branda de  
 Castillioneis, Mediolanensis, Cardinalis  
 S. Clementis; Angelus Barbadicus, Ve-  
 netus, Cardinalis SS. Marcellini, & Petri;  
 Guilielmus Philasterii Gallus, Cardinalis  
 S. Marci; Simon Cramaudus, Gallus, Car-  
 dinalis S. Laurentii; Antonius de Cha-  
 lanto Gallus, Cardinalis S. Cæciliæ; Pe-  
 trus de Fluxo Arragonensis, Cardinalis

*Hist. Eccles. Tom. XXVI, Z S. Ste-*



Secul. XV  
A.C. 1417.

S. Stephani; priores quinque Episcopi, reliqui erant Presbyteri. Ludovicus de Flisco Genuensis, Cardinalis Diaconus tit. S. Adriani; Amadæus de Salutiis Cardinalis Diaconus tit. S. Mariæ novæ; Raynaldus Brancatius, Cardinalis Diaconus tit. SS. Viti & Modesti; Otho Columna, Romanus Cardinalis Diaconus S. Georgii ad velum aureum; Lucidus de Comitibus Romanus, Cardinalis Diaconus tit. S. Mariæ in Cosmedin. Cardinales Barenfis, Lucensis, Bononiensis, & Petrus Maurocenus in hoc indice non leguntur, & ultimus quidem abfuisse creditur; Jacobus vero Insulanus Cardinalis Bononiensis tunc temporis ex mandato S. Sedis urbis Romanæ Administratione fungebatur; Bandellus de Bandellis autem Cardinalis Lucensis vivis ereptus fuisse videtur.

Insuper tria decreta fuere condita, ut ordini in Conclavi servando, & paci simul ac securitati consuleretur. In primo eorum, & quidem in vim legis perpetuæ cautum erat, ne quis illius Cardinalis, quem in Papam eligi contingeret, ædes spoliare auderet, statuta pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, & privationis omnium bonorum, atque dignitatum latae in Auctores ejusmodi rapinæ, & interdicti in urbem, quæ talis violentiæ rea esset. Porsæpe enim non modo



modo electi Pontificis, sed etiam ceterorum Cardinalium, aliorumque in Conclavi existentium domus direptæ fuerunt. Sæcul. XV.  
A.C. 1417.  
 Hunc abusum Synodus appellat temeritatem, & sceleratam audaciam, quam penitus abolere intendit. Secundum Decretum rescindit, ac irritat omnes protestationes, conventiones, pactiones, obligationes, juramenta, & condicta, contra præsentem electionem, a quocunque demum interponerentur. Tertio, omnes forenses causæ durante hac electione, exceptis solis *audientiis* Cameræ Apostolicæ suspenduntur. Quibus lectis Præses, nomine totius Synodi respondit: *Placet.*

§. LXXXI.

*Omnes Electores Conclave ingressi.*

Eodem adhuc die octavo Novembris *Labbe Conc.*  
*to. 12. p. 251.*  
 circa horam quartam pomeridianam omnes Electores conclave ingressi sunt, quod Imperator paulo ante intraverat, advenientes excepturus. Omnibus modis securitati loci provisum fuit. Ad portam stabant duo Principes, & Rhodiorum Magister claves gestantes. Ad gradus scalæ sex milites summo cum silentio excubias agebant. Ante Palatium Conclavis quidam Episcopi, & Doctores mensæ affidebant, speciatim de  
 Z 2 nomi-



**Sæcul. XV.** **A. C. 1417.** nominati ad scrutanda omnia, quæ ad Conclave deferebantur, exploraturi etiam, num fors aliquæ secretæ delitescerent literæ. Postera diei auroram Electores precibus sacrabant, & habito sermone ad exorandum Deum pro felici electionis successu solemnem indicebant supplicationem, quæ per plateas conclavi circumvicinas transibat, Sanctorum reliquiis per urbem reverenter delatis. Primis duobus Conclavis diebus, nempe nono, & decimo Novembris, suffragantes in diversa abierunt, unde pro hoc duodecim, pro illo novem, pro aliis sex, pro nonnullis quatuor numerabantur suffragia. Cardinalis Vivariensis Gallus, Cardinalis Otho Columna Romanus, Cardinalis de Salutiis, Cardinalis Venetus, Episcopus Genevensis, & Episcopus Cicestriensis Anglus, ceteris potiora retulerunt vota. Quibus accensendus est Nicolaus Gnesnensis Archiepiscopus, quem major pars Cardinalium nominavit, is vero qualecunque jus in Papatum haberet, libere in illum transferebat, in quem potior ceterorum pars concurreret. Verum cunctis Papam ex natione sua habere cupientibus, Germani & Angli statim prætenso huic juri cesserunt, aliosque ad sui exemplum adhortati sunt, sed Galli atque Hispani non adeo facile flectebantur.



## §. LXXXII.

Sæcul. XV.  
A.C. 1417.*Cardinalis Otto eligitur Papa. Ejus  
Historia & mores.*

**M**agnæ utrinque contentiones in seram *Raynald.*  
noctem usque fuere protractæ, & re *hoc an. n. 2.*  
infecta, omnes ad sua se receperunt.  
Tandem die undecima Novembris om-  
nium Electorum vota in Ottonem Colum-  
nam Cardinalem Diaconum tit. S. Geor-  
gii ad velum aureum conspirabant, qui in  
honorem S. Martini Turonensis Episcopi,  
cujus festum hoc ipso die agebatur, Mar-  
tinus V. nominari voluit, quamvis tertius  
hujus nominis dicendus esset, eo quod  
duo; qui eum præcesserant, Pontifices  
Martini quidem a vulgo nominabantur,  
revera tamen Marini nomen gerebant.

Pontifex iste natione Romanus ex an-  
tiquissima Columnensium familia, quæ  
plures summos Pontifices, ac Reges pro-  
tulit, ortus erat. Patrem habuit Aga-  
petum Columnam ab Urbano VI. postea  
Cardinalem creatum, sub cujus Pontifi-  
catu Otto referendarium agebat, sub Bo-  
nifacio IX. autem in Italia Nuntii munere  
fungebatur; Tandem ab Innocentio VII.  
Anno millesimo quadringentesimo quin-  
to Purpura decoratus fuit. Defuncto hoc  
Pontifice accessit Gregorio XII, eodem  
autem in Pisana Synodo exauctorato ab



Sæcul. XV. A.C. 1417. eo defecit. Intererat electionibus Alexandri V. & Joannis XXIII. a quo Umbriæ Legationem obtinuit; Joannem Constantia abeuntem omnium primus secutus est, & ultimus rediit ad Synodum. Hujus Viri præclaræ dotes communi omnium fere Historicorum commendantur suffragio; Doctrina præcipue Juris Canonici præstantissimus erat. Platina multis deprædicat ejus prudentiam, mansuetudinem, justitiæ studium, & in rebus publicis gerendis dexteritatem. Nonnulli tamen referunt, hunc, dum adhuc esset Cardinalis, pauperem ac modestum fuisse, sed post adeptum Papatum, in avarum degenerasse, multasque comparasse divitias. Verum extra omne dubium positum est, quod eximiis virtutibus fuerit clarissimus. Credunt quinquaginta annos natum fuisse, dum thronum conscenderat.

## §. LXXXIII.

*Imperator Papæ pedes osculatur.*

*Naucler.*  
*gener. 48.*  
*n. 443.*

Imperator comperta electione, confestim conclave ingressus est, atque humili obsequio ante Pontificem procumbens, pedes ejus deosculatur, simulque Electoribus gratulatur, quod tantum Virum delegissent. Papa vicissim tenerrimo affectu in amplexus Cæsaris ruit, gratias ei



ei agens, quod tanto zelo hucusque unionem Ecclesiae promoverit.

Sæcul. XV.  
A.C. 1417.

§. LXXXIV.

*Papa in Ecclesia Cathedrali inauguratus.*

Post meridiem Papa in Ecclesia Cathedrali solemniter ad Pontificium solium evehitur, præsentibus Imperatore, tota Nobilium corona, universo Clero tam primi, quam secundi Ordinis, Magistratibus, Canonicis, diversis collegiis, & urbis Constantiensis Primoribus. Univerſa Synodus solemniter obviam ibat Pontifici, eum ad Cathedralē deductura Ecclesiam. Prodiit ille e conclavi cum suis Electoribus albo equo rubris phaleris ornato vectus, cujus frænum Imperator a dextris, & Elector Brandenburgicus a sinistris tenebant. Ubi Papa ingressus est Ecclesiam, a Cardinalibus super Altare majus elevatus est, ut solemniter ritum Papatus sui possessionem acciperet, quod & factum est sub festivis omnium acclamationibus, & decantato Hymno: *Te Deum* &c.

*Labbe Conc.  
to. 12. p. 252.*

§. LXXXV.

*Martinus Diaconi, Presbyteri, & Episcopi sacris initiatus.*

Postera die duodecima Novembris, ut affirmant testes oculati, Dacherius, &

*Reichental  
fol. 29.*

Z 4

&



Sæcul. XV. & Reichental, quamvis plures alii de hac  
A.C. 1417. ordinatione fileant, sacrum Diaconatus  
ordinem suscepit. Decima tertia die  
Sabbati Presbyter, & sequenti Dominica  
a Cardinale Vivariensi Episcopus conse-  
cratur. Quo facto primam Missam Pon-  
tificali ritu celebravit, centum quadragin-  
ta Prælati mitra ornatis eidem assi-  
stentibus. Die decima quinta dicti Men-  
sis, omnes Clerici; & sequenti die Im-  
perator, ac Principes sæculares; die ve-  
ro decima septima Religiosi clientelare  
obsequium debitamque obedientiam pro-  
fessi sunt. Itaque non nisi ejus consecra-  
tio, atque coronatio desiderabantur, quæ  
die Dominica vigesima prima Novembris  
in Ecclesia Cathedrali peractæ fuere:  
hoc modo congregato universo coetu  
claudebantur portæ, & Cardinalis Viva-  
riensis rem divinam peregit, qua finita  
quidam Doctor Arragonensis sermonem  
habuit, postea Pontifex in sella colloca-  
tus, unctioem, atque Tiaram recepit.  
Dein oblato divino Sacrificio ad Episco-  
pale reversus est Palatium, in quo coro-  
natus fuit.

## §. LXXXVI.

*Pontificis coronatio.*

*Bonanni in* Extruxerunt ad solemnia Coronationis  
*Martin. V.* in area Palatii magnum Theatrum,  
quod



quod circiter centum caperet homines. Sæcul. XV.  
A.C. 1417.  
 Ad latus muri erigebatur folium multis gradibus elevatum, atque aureo umbraculo pro Papa ornatum. A dextris ac sinistris plures ponebantur sedes paulo humiliores pro Principibus, atque Prælatibus. Circa horam octavam matutinam duo Patriarchæ, viginti duo Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates mitris ac Pontificali habitu induti, equisque vecti ingressi sunt vestibulum Palatii, quos Cæsar, aliique Principes pedestres sequebantur. Postea Papa Tiara redimitus, Theatrum ascendit, cujus dextram Cardinalis Vivariensis, & quidam Patriarcha; sinistram vero Cardinalis Brancatius, & alius Patriarcha tenebant; a tergo autem reliqui stabant Cardinales cum magno Rhodiorum Magistro. Pontifici in altissimo subsellio sedenti Patriarcha Antiochenus Tiaram deposuit & præmissis aliis solemnibus tres Cardinales capiti ipsius imposuere coronam, alius vero Cardinalis stupam, quam gerebat, accendit, atque combussit, bis alta voce dicens: *Sanctissime Pater, sic transit gloria mundi.* Tandem quolibet suam sedem repetente, a Musicis decantabatur Hymnus *Te Deum* &c. quo dicto solemnia absoluta fuere.



Secul. XV.  
A. C. 1417.

§. LXXXVII.

*Judæi Papæ obsequium præstant.*

Jam Papa cum solempni comitatu abiens in via obviam habuit Judæos Constantienses, qui candelas in manibus gestantes, & more suo canentes eidem obsequium præstiterunt. Quidam ex illis Decalogum, ac Pentateuchon summo Pontifici obtulit. Varia est Auctorum sententia de modo, quo Papa Judæos excepit; dicunt aliqui, eum volumen accepisse, quod cum redderet, dixisse: „ legem „ habetis, sed non intelligitis, recesserunt „ vetera, nova sunt omnia. „ Alii vero memorant, Papam volumen legis recipere noluisse, Imperatorem vero illud accepisse cum dicto: leges eorum justas quidem, ac bonas esse, sed in hoc peccare, quod eas, prout decet, non observent. Dein Papam ad ipsos conversum ita locutum esse. *Omnipotens Deus avertat ab oculis vestris velamen, & faciat vos inspicere lumen æternæ vitæ,* atque benedictionem suam ipsis largitum fuisse.

§. LXXXVIII.

*Papa electionem suam omnibus Principibus significat.*

Platin. in  
Mart. V.

Post hæc Martinus V. sollicite omnes Principes electionis suæ certiores reddidit,



didit, atque Archiepiscopum Burdegalen-  
sem ad Alphonsum Arragoniæ Regem  
misit, qui eum admodum benigne exce-  
pit. Rex quoque illico quosdam able-  
gavit Episcopos ad Petrum de Luna, qui  
ei Constantiensium gestorum seriem ex-  
ponerent, & pertinacem hunc senecio-  
nem tandem flectere studerent; ast ille  
vinci haud poterat. Ludovicus de Flisco,  
Cardinalis tit. S. Adriani in Gallias mis-  
sus fuit, quamvis ejus legatio minus fe-  
licem, quam Arragonensis, sortita sit e-  
ventum; nam Carolus VI. adveniente  
hoc Nuntio Senatū coegit, in quo deci-  
sum, nemini præstandam esse obedien-  
tiam, quiscunque demum Constantiæ  
electus esset Papa, nisi prius Oratores Galli  
in Franciam cum plena libertate rediis-  
sent, & electionem libere, ac Canonice  
peractam fuisse testarentur, ex tunc vero  
Carolū VI. tanquam Regem Christianis-  
simum cum communi omnium applausu  
sua adimpleturum officia.

Sæcul. XV.  
A.C. 1417.

Bzov. an.  
1416. n. 10.

§. LXXXIX.

*Nationes congregantur, a Pontifice  
Ecclesiæ reformationem petentes.*

Pontifex eodem mense recepit Episto-  
lam Electoris Palatini, qua illi ele-  
ctionem suam die decima quinta Novem-  
bris fama publica ad se delatam gratula-  
tus



Sæcul. XV. tus est. Martinus V. altero post electio-  
A.C. 1417. nem suam die animum adjecit compo-  
 nendis Cancellariæ Romanæ regulis; sed brevi vocabatur ad alia, quæ opero-  
 sius Pontificiæ sollicitudinis studium re-  
 quirebant, nec inter ea infimum erat re-  
 staurandæ disciplinæ negotium. Nam  
 altera post coronationem die quinque Na-  
 tiones congregatæ animo constituebant,  
 se a Papa postulaturas, ut reformationi  
 Ecclesiæ, prout post sui electionem spo-  
 pondisset, incumberet, ac normam a Col-  
 legio hanc in rem instituto præscriptam  
 sequeretur. Votis petentium annuit  
 Pontifex, quinimo Deputatos nominari  
 præcepit, qui unacum sex Cardinalibus  
 a se electis huic negotio omnibus viri-  
 bus adlaborarent, datumque est operi i-  
 nitium: Attamen Nationibus inter se dis-  
 sidentibus, atque Cardinalibus tardius  
 manum admoventibus, Natio Germana  
 neo-electis reformationis Commissariis li-  
 bellum porrexit, hujus tenoris:

## §. XC.

*Nationis Germanæ postulata.*

*Petimus, quatenus Sedes Apostolica reser-  
 vationibus clausis in corpore juris con-  
 tenta sit, & electiones, confirmationes, col-  
 lationes, provisiones, præsentationes, & quas-  
 vis alias dispositiones Ecclesiasticas de Ar-  
 chiepiscopis*



chiepiscopatibus, Episcopatibus & Abbatia-  
 libus, aliisque dignitatibus & Prælaturis **Sæcul. XV.**  
 ac beneficiis Ecclesiasticis, per Metropolita- **A. C. 1417.**  
 nos, Episcopos, Prælatos, Capitula vel Col-  
 legia, & alios Patronos seu Collatores Ec-  
 clesiasticos libere fieri permittat; juxta di-  
 spositionem nonnullorum generalium Conci-  
 liorum antiquorum, atque mentem Fundato-  
 rum, salvo jure Sedis Apostolicæ in Ecclē-  
 sias, & Monasteria sibi privilegio exem-  
 ptionis vel alias immediate subjectas vel sub-  
 jecta. Necnon quod Papa quemlibet colla-  
 torem Ecclesiasticum, ad cujus collationem  
 ultra quinque beneficia spectant, per unam  
 possit onerare, sublatis extravagantium re-  
 gularum Cancellariæ reservationibus. Post-  
 quam igitur tali modo de reformatione  
 agebatur, Pontificem adibant Legati, qui  
 nomine Joannæ Neapolis Reginae eidem  
 filiale obsequium exhiberent, simulque  
 ad recuperandum S. Petri patrimonium,  
 utpote a longo tempore invadentium ar-  
 mis devastatum, necnon ad restituendam  
 S. Angeli arcem omne auxilium offer-  
 rent, haud minori promptitudine opem  
 spondentes, ut Sedi Apostolicæ redderen-  
 tur urbes, Ostia & civitas vetus, quas  
 Sfortia, altesatæ Reginae Bellidux, Brac-  
 cioni eripuit. Hujus tamen legationis  
 exitum ignoramus.



Sæcul. XV.  
A.C. 1417.

§. XCI.

*Gregorii XII. obitus.*

Tandem Angelus Corarius, antea Gregorius XII, Recineti in Marchia Anconitana die decima octava Octobris hujus anni vita functus est, annos natus nonaginta duos. Mortis suæ fama non nisi Mense Novembri ad finem vergente Constantiam pervenit. Martinus V. quod Papatum sponte abdicasset, die vigesima sexta Novembris cum ingenti pompa exequias celebrari iussit, ac tertia abhinc die in palatio Episcopali primum tenuit Consistorium.

§. XCII.

*Primum Consistorium Martini V. Pontificis.*

*Vander  
Hardt to. 4.  
pag. 1497.*

In hoc sacro Patrum senatu ante omnia agitabatur Ducum Bavarie causa. Pontifex enim comperto Henrici in Ludovicum Bavarum insultu, hujus Advocatum audivit, ac præmissa totius negotii deliberatione, secundum justitiæ leges procedendum pollicitus est. Dein solidas duas horas tenuit Argentinensis Episcopi controversia adversus suum capitulum, quæ ultro citroque agitabatur, nihil tamen decisum fuit, sed Papa Placentinum & S. Marci Cardinales nominavit,



vit, qui rem penitius examinarent, ac de-  
 mum cognita causa, totam negotii sum-  
 mam eidem exponerent.

Sæcul. XV.  
 A.C. 1417.

§. XCIII.

*Sicaria cædes Constantiæ perpetrata.*

Die septima Decembris hora septima  
 matutina Sicarius quidam a Lucer-  
 nensibus civibus, eo quod in quadam lite  
 contra Benedictinos causa cecidissent,  
 ex condito emissus, ejusdem Ordinis, ac  
 urbis Priorem supra pontem Constantien-  
 sem trucidavit. Ille autem mox com-  
 prehensus, scelus suum confessus est, quo-  
 circa per plateam, ubi cædem perpetra-  
 bat, equi caudæ alligatus ad supplicii lo-  
 cum raptatus, crurifragio multatus est.

§. XCIV.

*Fidei professio Bonifacii VIII. a Pon-  
 tifice jurata.*

Die decima septima ejusdem Mensis *Vander*  
 Pontifex sonantibus tubis promulga- *Hardt tom.*  
 ri jussit, omnes ab eo gratiam petitori *4. p. 1497.*  
 præfata die ad ejus palatium convenirent. *Idem t. 3.*  
 Ingens erat confluentium numerus, & *p. 779.*  
 Martinus Cardinalibus, Imperatore, Prin-  
 cipibus, atque Electoribus stipatus priva-  
 torum preces excipiebat, pluresque desu-  
 per Bullas expediri curabat. Postera die  
 sacrum Purpuratorum Senatum coegit,  
 in



Secul. XV. in quo professionem fidei olim a Bonifacio VIII. editum jurato emisit, præsenti-  
A.C. 1417. bus Nationum Deputatis. Electoribus suis hac professione spondit, quod bona Ecclesiæ nullo modo, nullove sub titulo, vel prætextu alienare, disciplinam autem Ecclesiasticam conservare, & quovis pacto labefactatam, adhibitis in consilium Cardinalibus, restituere velit; id tamen regulis Cancellariæ, quas condidit, refragari videtur. Ad idem quoque tempus refertur libellus Mauritiæ Pragensis, quem jussu Concilii contra Communionem sub utraque specie elucubravit, & præcipue adversus tractatum a Jacobello An. MCCCCXV. consarcinatum, in quo hunc usum defendere conatus fuit. Mauritius iisdem ferme cum Gersonio utitur argumentis, communiter afferri solitis. Scripturæ, Patrum, & Scholasticorum textibus a Jacobello pro Communionem sub duplici specie allegatis respondet, & rationes, seu potius abusus, ob quos Ecclesia usum calicis interdicereturgebatur, pluribus refert.

## §. XCV.

*Sessio quadragesima secunda.*

*Labbe Conc.* Die Martis 28. Decembris habita est  
*to. 12. p. 252.* Sessio XLII. & prima, cui Martinus V. præsedit: Interfuit quoque Imperator cum



cum omnibus Principibus, Prælatibus, at- Sæcul. XV.  
que Legatis. Missa de SS. Innocentibus A.C. 1417.  
per Episcopum Concordiensem celebrata,  
& peractis de more precibus, Cardinalis  
S. Marci Bullam Imperatori inscriptam  
legit, in qua Papa, assentiente Synodo,  
eundem æque ac Electorem Palatinum,  
& Ludovicum Bavarum ab onere custo-  
diendi Balthasarem Cossam antea Joan-  
nem XXIII. nuncupatum absolvit, hac  
tamen lege, ut eundem, quem tum  
Heidelbergæ, tum Manhemii captivum  
custodiebant, Commissariis a Martino  
Pontifice deputandis consignarent. In  
eadem Bulla depositionem Balthasaris  
Cossæ canonicam, fuisse memoratur.

## §. XCVI.

*Episcopus Vintoniensis creatur Car-  
dinalis.*

Martinus V., quorundam iudicio, im- *Vander  
Hardt to. 4.  
p. 1502.*  
mediate post hanc sessionem Henri-  
cum de Beaufort, Filium Ducis Lanca-  
stræ, Vintoniensem Episcopum, Cardina-  
lem, & in Wallia, & Hibernia Nuntium  
suum creavit. Huic electioni oblectati  
sunt Angli, & Archiepiscopus Cantua-  
riensis Epistolam ad Regem scripsit, ex-  
ponens, Papam mittendo Nuntium, tam  
legibus Regni, quam Anglici Primatus  
privilegiis vim inferre; Idem quoque Re-  
*Hist. Ecclesiast. Tom. XXVI, A a gi*



Sæcul. XV.  
A. C. 1418.

gi auctor erat, ut Vintoniensi Episcopo interdiceret, ne Cardinalis Legati prærogativa uteretur.

§. XCVII.

*Sigismundus Romanorum Rex a Pontifice recognitus.*

An. 1418.

Primo die Anni MCCCCXVIII. Papa Missam solemniter celebravit, & Benedictionem populo impertivit. Qua absoluta Imperator in gradus Altaris ascendit, & Papa Cardinalibus, ceterisque sedentibus Henricum de Ulm Consulem Constantiensem, ob præclara ejus in Synodum merita, Equitem creavit. Die sequenti vigesima quarta Januarii Papa generalem Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, omniumque Prælatorum, Principum, & cunctorum Nobilium, habuit congregationem, ut Sigismundum solemniter tanquam Regem Romanorum agnosceret. Itaque Missa ab eodem Pontifice celebrata, & sermone per Episcopum Curientem habito, Sigismundus ante Papam genuflexus procubuit, qui eum legitimum Regem Romanorum coluit, declaravitque, se Auctoritate Apostolica, si qui in ejus electione intervenerint, omnes supplere defectus. Postea Cardinalibus Vivariensi, & Urfino auream tradidit coronam, quam illi Impe-



Imperatoris capiti imposuerunt, hic vero Sæcul. XV.  
Sedi Apostolicæ inviolabilem fidem jure A.C. 1418.  
jurando promisit. Hac igitur solemnitate ejusdem coronatio Aquisgrani facta confirmata est. Ante illa tempora Imperatores nudum Regis Romanorum titulum præseferabant, donec Romæ coronati fuissent.

## §. XCVIII.

*Germanorum Libellus de reformatione.*

Opportune, importune instabant Nationes, ut Pontifex promissæ reformationis negotium aggredieretur; tanti enim momenti causam diutius protrahi ægre ferebant. Insuper Germani supplici libello petebant, ut octodecim articuli circa reformationem in quarta Sessione propositi quamprimum decernerentur; qua in re stylo admodum moderato usi sunt Germani.

## §. XCIX.

*Idem a Gallis & Hispanis petitum.*

Sua quoque studia in urgenda reformatione Germanis junxere Galli, ac Imperatorem adeuntes enixe rogarunt, ut Papam ad insigne hoc opus feliciter perficiendum induceret, verum repulsam tulerunt, dicente Cæsare, se quoque eos rogasse, ut electioni Pontificis præmitteretur



Sæcul. XV. retur Ecclesiæ reformatio, nunquam ta-  
 A.C. 1418. men eos acquiescere voluisse, jam ergo  
 creato Pontifice, ad urgendam hanc re-  
 formationem ipsimet illum accederent.  
 Hispani, quorum nonnulli Petro de Luna  
 secreto favebant, ceteris liberius loque-  
 bantur, contra simoniam scripta divulgan-  
 tes, quinimo aperte Pontifici minas in-  
 tentabant, ni abusus toleret.

## §. C.

*Reformationis schema Nationibus a  
 Papa propositum.*

*Vander  
 Hardt tom. 4  
 p. 1502.*

Martinus Nationum precibus acquie-  
 scens, sub finem Januarii super octo-  
 decim articulis, quos Germani repetitis  
 curis decidi urgebant, reformationis  
 normam edidit, eandemque Nationum  
 Deputatis examinandam tradidit. Pa-  
 pa ea ferme omnia, quæ a Nationibus  
 in hisce articulis postulabantur, conces-  
 sisse videtur, si octavum duntaxat ex-  
 cipias, quem absque responso intactum  
 reliquit: ad decimum tertium vero, de  
 exactione Pontificis, asseruit: Nihil  
 circa hoc punctum innovandum, quodi-  
 dem plures Nationes censebant.

## §. CI.

*Delegati a duobus Benedicti Cardina-  
 libus Constantiam missi.*

*Spond. ad.  
 an. 1418. n. 1.*

Ceterum Petrus de Luna, alias Bene-  
 dictus



dictus XIII, umbratili sua dignitate fa- Sæcul. XV.  
 scinatus, ac misere delusus, nec sanissimis A. C. 1418.

Alphonfi Arragonum Regis consiliis, nec  
 trium vel quatuor Cardinalium sibi ad-  
 hucdum adhærentium precibus expu-  
 gnari poterat, quamvis hi salubriter sua-  
 sissent, ut Constantiensi Synodo sese sub-  
 jiceret, atque neo - electum Papam a-  
 gnosceret. Martinus vero horum Car-  
 dinalium propensione opportune utendum  
 existimabat, satis enim sibi persuasum ha-  
 bebat, quod ipsimet sibi in Viro passim  
 derelicto, atque ab omnibus oppresso exi-  
 guum sane præsidium repositum esse, fa-  
 cile perspicerent; unde eisdem significa-  
 ri curabat, ut de suo patrocínio certi es-  
 sent, si Benedicti partes desererent. Duo  
 Cardinales hac favoris pollicitatione ex-  
 pugnati Constantiam suos legabant De-  
 putatos, qui ingenti gaudio excipiebantur,  
 ac ultima Januarii die Papæ conspe-  
 ctum subeuntes suam eidem obedien-  
 tiam fidemque juramenti religione ob-  
 stringebant. Ergo nonnisi duo Cardina-  
 les in Benedicti obsequio perstiterunt,  
 nempe Julianus de Oblatis, & Domini-  
 cus de bona fide Carthusianus, natione  
 Hispani. Ineunte Februario Imperator  
 Principes atque Prælatos convocavit, ut  
 causam Friderici Austriaci discuterent;  
 huic coetui Elector Brandenburgicus præ-  
 sedit. ~~Deortum~~ est, quod Dux omnes

A a 3

Vasal-



Sæcul. XV. Vasallos suos Cæsaris imperia renuentes,  
 A. C. 1418. ut sese submitterent, vel ipse compellat,  
 vel, ut ab aliis vi cogantur, pateretur.

## §. CII.

*Lis Imperatorem inter, & Mediolanensem Ducem composita.*

*Raynald. an. 1418. an. 2.* Aliquot abhinc diebus Imperator ad varias ditiones Legatos suos nominavit. Philippus Maria Dux Mediolanensis exortis quibusdam simulatibus cum Imperatore Sigismundo Constantiam misit Abbatem Manfredum S. Crucis, qui Sacrae Cæsareæ suæ Majestati pro ditione Mediolanensi clientelare profiteretur obsequium. Cum vero novæ inter eos succrescerent lites, Imperator ad Ducis preces Episcopum Passaviensem & Comitem Ottinganum Mediolanum misit, pacificam inuituros compositionem. Præcipua reconciliationis conditio erat, Dux Mediolanensis copias suas Montis-Ferratensibus jungeret, & communibus armis bellum moveret Genuensibus, quorum agendi ratio haud probabatur Imperatori. Verum Ducis istius fides merito in suspicionem trahebatur; accusabatur enim, Beatricem Tendam ejus conjugem, eoquod illam cum Sigismundi Legatis conspirasse suspicari ejus jussu capite truncatam fuisse.

## §. CIII.



## §. CIII.

Sæcul. XV.  
A. C. 1418.*Imperatoris Legati Basileam, Moguntiam &c. missi.*

Missus est cum aliis Bohemiæ nobilibus Comes Schwartzenburgicus Basileam, hujus urbis cives inducturus, ut Cæsari loca Basileam inter & Tigurum sita, necnon Duci Austriæ erepta redderent. Hi quidem restitutionem recusantes, oblata tamen ingenti pecuniarum vi, satisfecerunt Imperatori, qui & cum reliquis Helvetiorum urbibus pari pacto transegit. Præterea Moguntiam, Wormatiam, & Spiram suos ablegavit oratores, Palatinatus, & circumvicinas ad Imperium spectantes repetiturus urbes. Ast hæc Constantiam miserunt Legatos, qui cum Imperatore desuper convenirent, sed re infecta ad suos redire coacti sunt, Moguntinos, si exceperis, quibus quædam tributa condonavit.

## §. CIV.

*Solemnis ad Benedictum Legatio.*

Quamdiu Benedictus prætenso Legitimi sui Pontificatus juri obfirmatus adhucdum insistebat, schismatis flammam necdum extinctas, sed sub cineribus latere, probe noverant Patres, quocirca Martinum Papam adeunt, hortantes, ut



Sæcul. XV.  
A. C. 1418.

*Platin. c. 27.*  
*Bzov. n. 12.*  
*Vid. supr.*  
*§. CIII.*

ad Benedictum majori solemnitate expediret Legatos, qui eum ad cedendum, simulque recognoscendum verum Pontificem adigerent, adjectis etiam omnium Ecclesiæ poenarum comminationibus; Demandata est hæc provincia Cardinali Pisano, hunc in finem Legato in Hispaniam decreto; Imperator quoque ad Arragoniæ, Castellæ, aliosque Reges suas dedit epistolas, rogans eos, ut Legationis successum sua auctoritate promoverent. Verum nec Cardinali Pisano benignior arridebat fortuna, quam quæ ceteris hoc consilio ad Benedictum ablegatis. Respondit enim Pseudo-Papa, uniendæ Ecclesiæ causam suæ relinquendam esse curæ, seque ipsum sua cum Martino consilia collaturum. Ast Cardinalis, cum hoc responsum nil nisi callidam tergiversationem esse intelligeret, fulminatas contra Benedictum, duosque ipsi adhuc adhærentes Cardinales excommunicationis Bullas per totam Arragoniam divulgavit.

§. CV.

*Diffidia Papam inter & Arragoniæ Regem.*

Dum interea hæc fierent, Martinum inter & Arragoniæ Regem quædam enata est simulas. Ille enim ad Papam suos decernebat Legatos, qui peterent, ut habi-



habita expensarum ratione, quas pro bo-  
 no pacis Ecclesiæ tam ipse, quam Ferdi-  
 nandus Pater suus fecerant, Pontifex per-  
 petuo jure Beneficia in Sicilia, ac Sardi-  
 nia conferendi potestatem sibi concederet,  
 simulque eum absolveret ab ulteriori one-  
 re Sedi Apostolicæ alias præstari solito,  
 ac præterea aliquam decimarum partem  
 ex Arragonensium Ecclesiarum beneficiis  
 Romanæ sedis propriis sibi cederet. Pe-  
 titiit insuper, tradi sibi quædam loca Rho-  
 dii Equitibus subjecta, necnon cuidam  
 Ordini Equestri supremum Magistrum præ-  
 ficiendi facultatem. Attamen cum Papa  
 quotannis duodeviginti florenorum mil-  
 lia ex Siciliæ ac Sardinia reditibus per-  
 ciperet, tanti momenti proventus omnino  
 alienare recusabat, eosdem Regi ad quin-  
 quennium duntaxat offerens. Quæ re-  
 pulsa tantopere Regis animum offendit,  
 ut Petro de Luna iterum sese addixerit;  
 quamvis ab initio satis clanculo; postea  
 vero suos quoque Legatos Constantia  
 avocavit, eosque Regnum suum ingredi  
 prohibuit, eo quod, ut inquebat, ejus  
 juribus apud Pontificem male consuluis-  
 sent. Unde factum, ut Constantiensis  
 Synodi auctoritas non parum in Arrago-  
 nia labefactaretur.

Alphonsus necdum aperto odio Papam  
 insequi statuens, eidem iterato sua postula-  
 ta exposuit, sed nil aliud obtinuit, quam

Sæcul. XV.  
 A. C. 1418.



Sæcul. XV. Paniscolensis arcis, urbisque possessionem,  
A. C. 1418. unacum omnibus vacantium, indeque  
 pendentium beneficiorum redditibus, hac  
 tamen lege adjecta, ut Petrum de Luna  
 ex præfata arce expelleret, ac Pontifici  
 subjiceret. Quæ responsio magis adhuc  
 Regem commovit; unde Martino in re-  
 sponfis dedit: se aliunde Paniscolam oc-  
 cupaturum, & quidem sine ulla Benedicti  
 injuria. Nata sunt ex hisce diffidii auspi-  
 ciis maxima inimicitarum ac litium ziza-  
 nia, quæ Martinum inter & Alphonsum  
 succrescere non cessabant, donec Benedi-  
 ctus Anno millesimo quadringentesimo vi-  
 gesimo quarto tandem e vivis ereptus fu-  
 isset.

## §. CVI.

*Legatio Græcorum ad Constantiensem  
 Synodum.*

*Dupin. Bibl. tom. 12. p. 27.* **D**ies erat decima nona Februarii, qua  
 Emanuel Palæologus Græcorum Im-  
 perator & Josephus Constantinopolitanus  
 Patriarcha solemnem decernebant lega-  
 tionem, ut Synodi Patribus utriusque Ec-  
 clesiæ unionem offerrent. Legatorum  
 princeps erat Gregorius Kioviensis Ar-  
 chiepiscopus, quem comitabantur plures  
 Tartarorum Principes, atque undeviginti  
 Græci ritus Episcopi, qui omnes summo  
 honore ac pompa excepti fuere. Ipsemet  
 Imperator & Principes cum universo Cle-  
 ro



ro illis solemniter obviam procedebant, hi vero toto, quo Constantiæ morabantur, tempore plena libertate fruebantur, sacra sua secundum proprium ritum ac cæremónias peragendi. Verum hæc legatio optato successu omnino caruisse videtur. Raynaldus tamen Baronii continuator recenset Martini V. epistolam ad Emanuelis Filios datam, in qua eis significat, Græcam legationem satis benevole fuisse exauditam. Dupinus quoque refert, Eudemonem Joannem a Papa Constantino-  
 polin remissum fuisse donis auctum, unacum illustris generis Virginibus, quæ Proceribus græcis matrimonio jungerentur, inter quas etiam fuere Montisferratenfis Filia Joanni Palæologo, necnon Ducis Urbinatensis Filia Theodoro Emanuelis fratri in connubium sociandæ. Pontifex enim, ut Raynaldus ex laudata epistola testatur, Græcorum filiis latini ritus foeminas ducere concessit, adjecta tamen conditione, ut hæc ritu latino libere viverent, ac sine fidei detrimento, aut Salvatoris contumelia S. Romanæ Ecclesiæ obedientiam profiteri valerent.

## §. CVII.

*Rex Poloniæ a Papa privilegiis auctus.*

Ladislaus Poloniæ Rex ob conversos  
 ad

Sæcul. XV.  
 A. C. 1418.

Raynald. ad  
 ann. 1418. n.

17.



Sæcul. XV. ad Christi fidem Samogitas, & præclara  
 A.C. 1418. in Synodum studia, necnon ob plurimas  
 suis sumptibus conditas atque dotatas  
 Raynald. hoc Ecclesias de Sacra Sede optime meritum  
 ann. n. 18. sese reddebat; quocirca summus Ponti-  
 fex omnia privilegia a suis Prædecessori-  
 bus Regi concessa rata habuit, editis  
 hanc in rem Constantiæ quarta & deci-  
 ma tertia Maji duabus Bullis. Insuper  
 Ladislao prærogativam contulit Vicarii  
 generalis Poloniæ ac Russiæ Polonicæ  
 Ecclesiarum\*. Privilegia quoque Withol-  
 do magno Lithuanicæ Duci propter eadem  
 merita olim concessa confirmavit, illum-  
 que hujus Provinciæ nominavit Vicarium  
 generalem, junctisque cum Imperatore  
 studiis, unius anni inducias præcepit Po-  
 lonos inter, & Ordinis Teutonici Equites,  
 a die vigesima Julii computandas. De-  
 nique imperatum Equitibus, ut in securi-  
 tatem pacti quatuor urbes Polonis cede-  
 rent, hac tamen conditione, ne easdem  
 munimentis firmarent, nec etiam Rex Po-  
 loniæ unquam sibi illarum dominium ar-  
 rogaret. Alia quoque Constitutione Men-  
 se Aprili data Martinus V. sacram mili-  
 tiam indixit, Christianos Principes adhor-  
 tatus, ut Joannem Lusitanicæ Regem con-  
 tra Mauros, quibus jam Anno millesimo  
 qua-

(\*) in Bulla additum legitur: in tempora-  
 libus.



quadringentesimo decimo quinto Septimæ Sæcul. XV.  
eripuerat, subsidiariis armis juvarent. A.C. 1418.

## §. CVIII.

*Damnatio libri Joannis de Falckenberg dilata.*

Cum interea Gnesnensis Archiepiscopus cum Imperatore Parisiis ageret, ibidem seditiosum invenit librum, quem Johannes de Falckenberg Cameneciensis Dominicanus contra Regem, regnumque Poloniæ in gratiam Equitum Teutonicorum ediderat; quocirca Archiepiscopus Constantiam redux illius Auctorem ibi adhuc dum commorantem carceri mancipari jussit. Ceterum libellus iste inscriptus erat ad omnes Reges, Principes, Prælatos, ac denique universim ad cunctos Christi fideles, quos ut in Polonorum ac Ladislai eorum Regis interitum conjurarent, adhortatur, spe facta, se æternæ felicitatis præmia consecuturos. Habetur in Dlugosso Polonicæ Historiæ Scriptore damnationis sententia auctoritate Concilii in hunc librum lata, quæ, quamvis concordi suffragio decreta fuisset, nihilominus eam in nulla Sessione publica confirmatam legimus. Certum tamen est, quod Pontifex, qui cum adhuc Cardinalis esset, eidem subscripserat, ad Equitum Prussorum preces illam irritare

*Dlugoss. de  
reb. Polon.  
l. 21. p. 576.*

tare



Sæcul. XV. tare, vel saltem quodammodo mitigare  
 A. C. 1418. conatus fuerit.

## §. CIX.

*Polonorum provocatio a Papa ad futurum Concilium.*

Verum hæc Pontificis indulgentia tantopere commovebat Polonos, ut non modo actionem denegatæ justitiæ instituerent, sed etiam de electione Martini V. ad futurum Concilium provocarent. Horum causæ suffragati sunt Galli, eoquod Falckenbergii præcepta parum aut nihil discreparent a Joannis Parvi propositionibus. Verum nec illi nec isti impetrare poterant, ut libellus Joannis Falckenbergii, aut Ducis Burgundi vindiciæ a Joanne Parvo compositæ in plena Synodo damnarentur.

## §. CX.

*Gerfonii tractatus pro Polonis.*

*Gerfon. to. 5. p. 1014.* Hoc factum ægerrime tulit Gerfonius, & in quodam Dialogo Apologetico hac de re, soluta jam Synodo, elucubrato, accerrime conquestus est. Itaque docet, in Caussis fidei licere appellare a judicio Papæ, cum hoc judicium non foret infallibile, prout tamen esset judicium Concilii Generalis. Ex quo deducit, quod in materia fidei *nulla determinatio Judicialis Episco-*



Episcopi, imo nec Papæ solius præcise ut Sæcul. XV.  
 Papæ ligat fideles ad credendum, quod ita sit A C. 1418.  
 de veritate fidei, sicut prætendit sua decla-  
 ratio, obligat tamen subditos sub pœna ex-  
 communicationis, quod non dogmatizent op-  
 positum, nisi appareat manifesta ratio re-  
 pugnandi vel per sacram Scripturam vel per  
 revelationem. Ulterius pergit, sicut pot-  
 est declinari iudicium Episcopi,\* & re-  
 quiri iudicium Papæ, pari quoque ratio-  
 ne de Pontifice ad Generale Concilium  
 appellare licet.

## §. CXI.

*Bohemia ab Hussitis devastata.*

Interea Hussitarum furor in dies accres-  
 cebat, eorumque quos seduxerant,  
 multitudo plurimum augebatur; illorum  
 quoque Coriphæi insolentius spernebant  
 securitatis literas, quas eis Imperator ul-  
 tro obtulerat, ut Constantiam de factis  
 suis rationem reddituri adirent. Tanta  
 Hussi-

Cochl. hist.  
Hussit. l. 4.

(\*) Continuator hic studiose omisit hæc verba  
 Gersonii, si *APPAREAT DEVIUS A FI-  
 DE*, in hac enim hypothesi Gersonium locutum  
 fuisse, patet ex ipsis suis Verbis in fine tracta-  
 tus allatis: *HÆC AUTEM DICTA* &c. quæ,  
 si sincere agere voluisset Continuator, saltem per  
 transenam tangere debuisset.



Sæcul. XV.  
A. C. 1418.

Hussitarum petulantia Synodi Patres impulit, ut viginti quatuor articulos conderent, quibus malo magis magisque invalescenti quodammodo remedium afferrent; erant autem sequentes.

§. CXII.

*Articuli contra Hussitas a Synodo decreti.*

Juret Bohemiæ Rex, se libertates Ecclesiæ Romanæ, aliarumque Ecclesiarum in suo regno defensurum, atque Hussitarum insultus repressurum; omnes Ecclesiastici & Laici Wiclefi, & Joannis Hussi doctrinam tenentes, illum abjurent, renitentes vero legum severitatem experiantur; a suis beneficiis expulsi restituantur, atque intrusi inde expellantur; omnia bona Ecclesiastica, Sanctorum reliquæ, Ecclesiarum thesauri, atque universim quævis ablata reddantur; Universitas Pragensis reformetur, Wiclefistis omnino exulare jussis; Hæresiarchæ principales ad Curiam Romanam venire compellantur; Communio sub utraque specie prohibeatur; Libri Wiclefi & Hussi necnon Jacobelli Legato tradantur comburendi; cantilenæ in Synodi odium, & Joannis Hussi & Hieronymi Pragensis laudem concinnatæ prohibeantur; sine Ordinarii consensu prædicare non liceat; cæremo-  
niæ



niæ & ritus Romanæ Ecclesiæ circa cultum S. Imaginum, & Reliquiarum venerationem observentur; relapsi ignis supplicio mulctentur; sæculares sub poena excommunicationis adversus delinquentes in præfatis teneantur auxilium præbere.

Sæcul. XV.  
A. C. 1418.

§. CXIII.

*Bulla Martini V. contra Hussitas.*

Ad normam horum articulorum Martinus V. promulgavit Bullam adversus Hussitas die vigesima secunda Februarii datam, cujus diversæ editiones inter se non omnino conveniunt. In Hagenoensi, quæ Anno Domini millesimo quingentesimo prodiit, hæc Bulla pro Constitutione Synodali exhibetur, ut patet ex his verbis: *Sacro approbante Concilio*, in aliis vero editionibus illam auctoritate Pontificis Synodum approbantis conditam fuisse elucet, quia hanc præsefert epigraphen. *Epistola Martini V. damnationem errorum Wiclefi, & Joannis Hussi a Concilio Constantiensi factam approbans.* In pluribus Codicibus inscripta legitur ad Clerum, & ad Inquisitores hæreticæ pravitatis in Bohemia, Polonia, & Anglia, in aliis vero ad Archiepiscopos, Episcopos, atque Inquisitores ubicunque locorum existentes; quibus præcipitur, examinentur omnes delinquentes, atque hæretici, eo-

Vonder  
Hardt to. 4.  
p. 1418.

Schelst. dis-  
sert. p. 188.

*Hist. Ecclesiast. Tom. XXVI. Bb rum-*



Sæcul. XV. rumque fautores in iudicium vocentur,  
A. C. 1418. brachio sæculari, si opus fuerit, tradendi;  
 in eadem injungitur Regibus, Principibus,  
 & Judicibus sæcularibus, ut omni severi-  
 tate iussa exequantur, & ne quis forte  
 ignorantia prætextu tueri se possit, Bul-  
 læ adjiciuntur quadraginta quinque Wi-  
 clefi, & triginta Hussi articuli nuper  
 damnati, de quibus in fide suspecti inter-  
 rogandi atque iudicandi essent.

*Vid. sup.*  
*l. CIII. §. 28.*  
*§ 74.*

## §. CXIV.

*Animadversiones in primum hujus  
 Bullæ articulum.*

Memoratu dignus est primus hujus Bul-  
 læ articulus; præcipit enim Marti-  
 nus V., ut de fide suspectus juret, *cre-  
 dere se in omnia Concilia generalia, & spe-  
 ciatim in Constantiense, Ecclesiam universa-  
 lem repræsentans, omniaque ab hoc Concilio  
 damnata, vel approbata, ab omnibus fide-  
 libus damnanda vel approbanda esse.* Quibus  
 verbis manifeste probatur, quod Pontifex  
 laudatam Synodum pro Oecumenica at-  
 que universali habuerit, cumque omnia  
 ejusdem Synodi decreta a cunctis fide-  
 libus approbanda esse jubeat, etiam aucto-  
 ritatem Concilii supra Papam approbat,  
 utpote quæ in Sessione V. decreta fuit.  
 Schelstratus frustraneo labore hoc argu-  
 mentum, quod invincibile videtur, decli-  
 nare



nare conatur, dum irrito prorsus conatu Sæcul. XV.  
A. C. 1418.  
Papam duntaxat illa decreta, quæ ad fidem & salutem animarum spectant, approbasse propugnat. \*

## §. CXV.

(\*) *Observes velim, quod Papa in laudatis Bullæ verbis non dicat: omnia ejusdem Synodi decreta, si non sint approbata, sed ab hoc Concilio approbata, esse approbanda; quis autem dicere audeat, hanc Synodum eo tempore, quo legitima fuit juxta omnes, decreta Sessionis IV. & V. approbasse, cum ipsamet subscripserit damnationi propositionis XXXVI Wiclefi, Papa non est proximus & immediatus Christi Vicarius, nonne ipsimet Constantienses Patres approbarunt hanc interrogationem: Utrum credant, quod Papa Canonice electus habeat supremam auctoritatem in Ecclesia Dei, si ergo Pontifici supremam in Ecclesia, quam repræsentat Synodus œcumenica, auctoritatem adjudicant, qua via illum Synodo inferiorem esse, approbare valent. Verbo, ostendatur nobis, vel ullum œcumenicum Concilium, vel aliquis Pontifex, qui disertis verbis dicat, Decreta Sessionis IV. & V. sunt approbata, nos autem allegamus ipsum Martinum V. in Sessione XLV. declarantem, quod omnia decreta NB. in materiis fidei & concilialiter facta approbet, & non aliter, nec alio modo. Habemus Florentinum, & Lateranense Concilia, pariter Œcumenica, quæ articulum de auctoritate Synodi supra Papam*



Sæcul. XV.  
A. C. 1418.

§. CXV.

*Errores Picardorum in Bohemia.*

*Balb. epit.  
ver. Boh. p.  
423.*

Nec tamen hac Bulla Martini V. turbæ in Bohemia sopitæ fuere, quinimo hoc anno quadraginta Picardis ex Gallia unacum suis conjugibus ac liberis migrantibus, majora coeperunt incrementa; Hi Coriphæum habebant Pragam quemdam Picardum, a quo dicti fuere Picardi. Nonnullorum Scriptorum fide discimus, ab hisce hæreticis Adamitarum errores ab inferis resuscitados fuisse, eorumque ducem illos semper nudos incedere jussisse, simulque permisisse, ut quisque in quamcunque obviam foeminam libidine incensus, eam ducere possit, quin aliæ solemnitates præter solam Picardi concessionem adhibendæ forent.

§. CXVI.

*Epistola Papæ ad Proceres Bohemice.*

*Eoshl. l. 4.* Scripsit summus Pontifex Mense Martio currentis anni literas ad Bohemiæ Pro-

---

*expresse reprobant. Verum non tam agitur de hujus quæstionis veritate, quam Pontificis obedientiam excutiendi cupiditate. vide sequentem §. CXX.*



Proceres, exhortans eos, ut Hussitarum Sæcul. XV.  
 errores ejurarent. Stylo fane gravi, at- A. C. 1418.  
 que ad persuadendum efficaci illis ab ocu-  
 los ponit crudelitates & mala, quæ Hus-  
 sitæ per universam Bohemiam patraffent;  
 hinc eos impense rogat, ut violentiis hisce  
 sese omnibus viribus opponerent.

## §. CXVII.

*Legatus Papæ in Bohemiam. Depu-  
 tatio Hussitarum ad Wenceslaum.*

Ut vero Papa monitis suis proprios, Raynald. hoc  
 an. n. 9.  
 quantum in se erat, conatus adjun-  
 geret, ex Ordine F. F. Prædicatorum Car-  
 dinalem Joannem Dominici Legatum in  
 Bohemiam, atque Hungariam decrevit,  
 qui furiosos ad saniora reduceret. Cum  
 vero hi impunitatis fiducia elati, cuncta  
 insolentius contemnerent, frustraneus  
 erat Zelosissimi Legati fervor: Unde tur-  
 bis nullatenus sedatis ad sua reverti co-  
 actus est. Qua de re ad Papam atque  
 Imperatorem literas dedit, significans, in  
 vanum adversus eos lingua & calamo  
 pugnari, sed ad frangendam illorum per-  
 tinaciam arma in eos esse convertenda.  
 Idem quoque Sigismundo consilium jam  
 anno superiori Gersonius dederat; ast  
 tum temporis illud exequi, plurima ob-  
 stacula prohibebant. Interea Hussitæ die  
 sexta Aprilis in arce Vifsegradensi con-  
 Bb 3 veniunt,



Sæcul. XV. A.C. 1418. veniunt, Nicolaum Huffinetz ad Wenceslaum Regem ablegantes, qui plures ad hac Ecclesias ipsis concedi rogaret, eo quod sectariorum numerus indies cresceret. Obstupuit Rex de tanta hæreticorum impudentia, atque Legatum evoluto tertio die redire iussit, quæ decreturus esset, percepturum.

## §. CXVIII.

*Hussitæ, ductore Zischa, armati coram Wenceslao.*

Exeunte triduo Wenceslaus per Virum, quem a consiliis habebat, Hussitis indicari præcepit, se equidem illis propensum esse, velle tamen, ut obedientiam suam luculento testarentur argumento, atque ideo die præstituto arma sua ad Palatium deferrent, ac coram se deponerent. Quo mandato perterriti, eorum plurimi nequaquam iussis obtemperandum rati, abire, sibi que fuga consulere decernebant. Verum Zischa suam eis ignaviam exprobravit, exponens, illos in charybdin, dum scillam effugerent, præcipitatum iri, eo quod abs dubio, si velut fugitivi domos suas repeterent, singuli atque ab invicem sejuncti sensim perituri essent; de cetero sibi longe melius perspectam esse Regis indolem; hunc enim adeo gavisurum aspectu Virorum bene armato-



matorum, ut de armis ponendis nec men-  
tionem quidem facturus esset. His ad-  
dit: Ego ipsemet quoque Dux vester ero,  
nec vestro nomine in Palatio verba fa-  
cere recuso. Hac conditione Hussitas in  
suam pertraxit sententiam. Itaque Zischa  
illos coram Rege producens, similibus  
eum verbis allocutus est: Sacra tua Ma-  
jestas jubet, ut Hussitæ coram te compa-  
rerent armis instructi, quæ eis juxta gen-  
tis suæ jura, ut se contra hostes tuos tue-  
ri possent, deferre competit; cumque  
non alio consilio id jussum fuisse creda-  
mus, quam ut ad debellandos regiæ tuæ  
dignitatis hostes educeremur, hinc para-  
tissimi adsumus, simul ac ejusmodi ini-  
micos cognoverimus, vitam & sanguinem  
profundere. Wenceslaus callido hoc ser-  
mone deceptus, virtutem ac Zischæ au-  
daciam commendat, omnesque Hussitas  
incolumes domum abire jubet.

## §. CXIX.

*Rosa aurea Sigismundo a Pontifice  
donata.*

Ineunte mense Martio summus Pontifex *Reichental*  
Rosam auream a se benedictam Sigis-  
mundo Imperatori donavit, quam sub  
splendidissimo umbraculo delatam Cardi-  
nales aliique Prælati, comitantibus quo-  
que S. R. I. Electoribus ceterisque Prin-

Bb 4

cipi-



Sæcul. XV.  
A. C. 1418.

*Hist. Pontif.*  
*tom. 2.*

cipibus Cæsari porrigebant. Sigismundus, quamvis pede laborans in lecto decumberet, nihilominus, ut sacrum hoc munus debita cum reverentia acciperet, in solium suum se erigi curavit. De hac rosæ aureæ benedictione Petrus Blessensis sæculi duodecimi Scriptor mentionem facit. Occurrunt quoque hujus ritus documenta in quodam Innocentii III. sermone, necnon in Guilielmo Durantio, qui sæculo XIII floruit. Hæc consecratio Romæ in quadragesima tribus ante Pascha septimanis fieri consueverat, testaturque Andreas Duchenius, Urbanum V. Anno reparatæ Salutis millesimo trecentesimo sexagesimo octavo dedisse hanc auream Rosam Joannæ Siciliæ Reginae, prius tamen Regem Cypri huic cæremoniæ assistentem eadem honorasse. Ab illo igitur tempore repetenda est ejusmodi Rosas Principibus utriusque sexus mittendi consuetudo.

§. CXX.

*Constitutio Papæ de non appellando  
a Pontifice ad Concilium.*

Expletis hisce cæremoniis non multo post Martinus Papa sacrum Cardinalium Senatum habuit in caussa Polonorum ratione libri Joannis de Falkenberg, quem Papa nuper condemnare recusabat.

Cum



Cum vero Poloni a Pontificis iudicio ad Sæcul. XV.  
 proximum Concilium provocare statuis- A. C. 1418.  
 sent, Constitutionem edidit, qua nulli fas  
*esse declaravit, a supremo Iudice, videli-*  
*oet, ut inquit, a Sede Apostolica seu Ro-*  
*mano Pontifice appellare, aut illius iudicium*  
*in causis fidei (quæ tanquam majores ad*  
*ipsum, & Sedem Apostolicam deferendæ*  
*sunt) declinare.*

## §. CXXI.

*Hæc Constitutio a Gersonio impu-*  
*gnata.*

**G**ersonius occasione ex hoc Pontificis Gerson. to. 2.  
 decreto captata tractatum elucubra- p. 390. &  
 vit, in quo discutit: *Quomodo, & an li-*  
*ceat in causis fidei a summo Pontifice appel-*  
*lare.* Atque licere affirmat, necnon ei-  
 dem Martini V. Bullæ decretum oppo-  
 nit Sessionis V. Concilii Constantiensis, ad-  
 ditque plures alias rationes, quibus suam  
 sententiam probare nititur, constanter  
 huic innixus principio, quod nullus in  
 terris detur Iudex infallibilis, aut qui in  
 fide errare non possit, nisi Ecclesia uni- Vid. supr.  
 versalis seu Concilium illam repræsen- S. 112.  
 tans.

B. b 5

§. CXXII.



Sæcul. XV.

§. CXXII.

A. C. 1418.Sessio XLIII. Decreta circa reformationem Ecclesie.*Labbe Conc.  
tom. 12. p.  
253.*

Cum Pontifex Synodi finem exoptaret, die vigesima prima Martii Sessionem XLIII celebravit, cui ipse præfuit, absente tamen Imperatore. Missa per Cardinalem S. Marci decantata, quædam Decreta de reformatione publicata fuere. Primum tangit exemptiones, inter quas Papa revocat omnes a morte Gregorii XI absque Ordinariorum consensu, & incognita causa concessas, exceptis illis, quæ in gratiam alicujus fundationis, vel Universitatis datæ fuerunt. Additque: *Insuper non intendimus exemptionem de cetero facere, nisi causa cognita, & vocatis, quorum interest.* Secundo Decreto statuitur de novo discutiendas esse coadunationes Beneficiorum ab obitu Gregorii XI a summis Pontificibus impetratas. Tertium respicit fructus Ecclesiarum vacantium, quos Papæ, aut Cameræ Apostolicæ applicari prohibet. Quartum, simoniam in Electionibus, Ordinationibus, postulationibus, & Collationibus admissam proscribit. Quintum, dispensationes, aut permissiones possidendi beneficia, quibus S. Ordo annexus est, absque ipsius Ordinis receptione revocat. Sextum disponit, ne imponantur Ecclesiis,



fiis, vel Ecclesiasticis decimæ, vel alia <sup>Secul. XV.</sup>  
 onera, nisi gravis caussa utilitatem uni- <sup>A. C. 1418.</sup>  
 versalis Ecclesiæ concernens urgeret, &                       
 consensus Cardinalium, necnon Prælato-  
 rum loci accederet. Septimum innovat  
 Canones de vita & honestate Clericorum.  
 Octavum sequentis tenoris est: *Decla-*  
*ramus sacro approbante Concilio, per de-*  
*creta tam lecta in præsentì Sessione, quam*  
*per concordata cum singulis Nationibus, &*  
*quæ in nostra Cancellaria poni & literas in*  
*forma publica sub sigillo Vicecancellarii con-*  
*fici volumus, super articulis contentis in de-*  
*creto super reformatione fienda, die Sabbati*  
*trigesima mensis Octobris Anno Domini mil-*  
*lesimo quadringentesimo decimo septimo pro-*  
*mulgata, fuisse & esse satisfactum.* Hoc  
 modo reformatio Cardinalium, & Cu-  
 riæ Romanæ a Concilio petita, elusa vi-  
 detur. Sex enim duntaxat ex octode-  
 cim articulis in decreto trigesima Octo-  
 bris Anno millesimo quadringentesimo  
 decimo septimo præfixis, in hac ultima  
 sessione definiti leguntur.

## §. CXXIII.

*Venetorum ac Genuensium Legati ad  
Concilium.*

Feria secunda post Pascha Venetiarum, *Ibid. p. 1543.*  
 ac Genuæ Legati ad componenda  
 quædam cum Imperatore dissidia Con-  
 stan-



Sæcul. XV.  
A. C. 1418.

stantiam veniunt; Verum cum Imperator plurium urbium a Venetis occupatarum restitutionem sibi fieri instanter peteret, illi vero eas reddere detrectarent, cuncta indecisa mansere. Genuensium quoque postulatis Marchio Mont-ferratensis, illis summe indignatus, obstabat. Quamobrem tam hi quam illi re infecta domum regressi sunt.

## §. CXXIV.

*Legati a Papa in Galliam missi.*

*Juven. Ur-* Imperator Gallorum pacem cum Anglis  
*sin. hist. Ca-* ardenter exoptans, Papam permovit,  
*rol. VI. pag.* ut Legatos suos ad Carolum VI. mitte-  
*440.* ret, qui de reddenda concordia tracta-  
rent, & tandem intestina bella sedarent.  
Ergo Cardinales Ursinum, & S. Marci ab-  
legat. Hi Monasterioli ad Icaunii flu-  
vium, ubi utriusque partis Deputati die  
17 Maji convenerant, comitia agi pe-  
tierunt, in quibus pactum est, ut stabili-  
ta omnium præteritarum inimicitiarum  
oblivione, Delphinus, & Burgundiæ Dux,  
quamdiu Rex viveret, rerum summam ad-  
ministrarent.

## §. CXXV.

*Recrudescunt in Galliis dissidia.*

*Ibid. p. 445.* Verum Armeniacus, Connestabilis, &  
Henricus de Merla Cancellarius,  
junctis



junctis quoque Primariis Regni Ministris, Sæcul. XV.  
A.C. 1418.  
 veriti, ne a causis publicis excluderentur, vel Burgundiæ Ducis indignationem  
 experiri cogerentur, huic pacis articulo sese omnium virium contentione opposuerunt, adeo ut ferocius, ac olim denuo intestinum bellum exardesceret. Parisienses novos tumultus exosi, eorum Auctores persequuntur, & Burgundiæ Ducis factionem iterum iterumque corroborant. Ducis Amici, quorum plurimos Parisiis numerabat, die 28. Maji in tempesta nocte Joannem de Villiers Insulæ-Adami Dominum unacum octingentis Equitibus per portam S. Germani introducunt, clamantes; *Pax sit, & Burgundus!*

## §. CXXVI.

*Lutetia Parisiorum a Burgundionibus occupata. Cædes ibidem perpetrata.*

Populus, donec Equites usque ad plateas SS. Dionysii & Honorati penetrassent, quietus subsistebat, postmodum vero Parisienses agmine velut facto erumpunt, & se Burgundi copiis agglomerant. Tanaquilus Castelius, Lutetiarum Præfectus audito hoc tumultu accurrens, Delphinum e lecto arripit, & sua toga cubiculari involutum in Bastilliam, & inde



Sæcul. XV.  
A. C. 1418.

inde Melodunum transfert. Rex vero, qui in suo agebat Palatio, Burgundis cessit. Subin eadem copię per totam civitatem discurrentes, Armeniacorum domum invadere, deprædari, pluresque captivos abducere, quos non nisi data ingenti pecuniarum vi libertati asseruerunt; ipse Cancellarius captus ad Palatii carceres ductus fuit; postera die idem fatum tulit Connestabilis, ipso illo, in cuius domo delitescebat, nequiter eum prode. Qui olim in exilia relegati fuerant, reversi sunt, & pleni audacię ac furoris die duodecima Junii seditionem moverunt, qua crudeliorem memoria hominum non tulit. Connestabilem & Cancellarium e Palatio vi extractos trucidant, eorum corpora in foro iudicii (\*) exponunt, inde vero ad alios convolant carceres, Silvanectensem & Constantiensem Episcopos in forensi Carcere (*Le petit Chatelet* dicto) jugulant, ceteros præcellis e turribus præcipites agunt, quos misere dejectos, qui inferius stabant, erectis hastarum suarum aculeis exceperunt. Duo fere cæforum numerabantur millia.

§. CXXVII.

---

(\*) *Hoc iudicium lingua Gallica nuncupatur Tabula marmorea, Table de Marbe, ibique lites circa aquas & sylvas dirimi solent.*



## §. CXXVII.

Sæcul. XV.  
A.C. 1418.*Burgundiæ Dux cum Regina Lutetiam  
ingressus.*

Dux Burgundiæ Parisios reverti noluit, antequam unius mensis spatio Joannes ab Insula-Adam urbem occupasset. Postea vero Dux & Regina cum ingenti pompa die decima quarta Julii Lutetiam ingressi sunt, resonantibus undique Musicorum choris. Nec tamen horum præsentia seditionem compescuit. Nam in quos vel levissima suspicio cadebat, quod Armeniacis faverent, jam fundatus credebatur titulus, ut sub hoc schemate eorum domus exspoliarentur, atque opibus, beneficiis, & dignitatibus conspicui crudellem in modum trucidarentur. Homines ex infima populi sæce, Duces erant truculentæ hujus ac sanguinariæ cohortis, nec ipsi carnifici inter eos locus deerat. Imo hic ipse furiosorum agmen duxit, qui homines plusquam ducentos die vigesima prima Augusti interimerunt, ipsum quoque Palatium cædibus funestare adeo non abhorrentes, ut in ipsum Ducem manus injecissent, nisi opportuno auxilio vim cohibuisset. Etenim ut seditionum rabiem a se averteret, sex milia eorum ad obsidendum Montem Letherici urbe eduxit, qui cum ad hanc expedi-



Sæcul. XV. A. C. 1418. peditionem Parisiis egressi essent, Dux  
carnificem capite truncari, plures alios  
ceteris magis sceleratos laqueo suspendi,  
vel undis submergi præcepit.

## §. CXXVIII.

*De Societate Fratrum vitæ communis.*

*Spond. an.*  
*1384. n. 12.*

Anno Incarnationis millesimo trecentesimo octogesimo quarto Gerardus Groos, seu Magnus, patria Daventriensis, Sorbonæ Doctor, atque Ultrajecti Canonicus *Fratres vitæ communis* instituit, quorum societas componebatur Viris scientia ac pietate claris: Vitam sustentabant communibus facultatibus; bona enim ad evitandam mendicitatis necessitatem omnibus sibi communia habebant, simulque juvenes literis imbuere obstringebantur. Gesta Gerardi conscripsit Thomas a Kempis, ac plurimum hoc institutum commendavit, cui & ipse aliquamdiu adhæserat.

## §. CXXIX.

*Liber Matthæi Grabonis contra hosce Fratres Pontifici exhibitus; propositiones ex eo decerptæ.*

*Gerson. to. I.*  
*p. 467.*

Interim Dominicanus quidam ex Provincia faxonica, nomine Matthæus Grabon in Conventu Wismariensi Merseburgensis Diœcesis probare aggressus est, quod



quod ejusmodi societates Auctoritati Pontificis, necnon approbatis Religiosorum Ordinibus injuriosæ essent, & nonnisi in contemptum Votorum monasticorum ac Cænobiorum ruinam tenderent. Igitur currente hoc tempore summo Pontifici exhibuit libellum, in quo pluribus expositis articulis ostendit, I. *Bonorum temporalium Proprietatem statui sæculari essentialiter esse annexam.* II. *Nullum sine peccato posse abjicere illud, quo retento potest convenienter vivere secundum statum suum.* III. *Eos peccare, qui omnia bona sua simpliciter in eleemosynam largiuntur propter Christum.* IV. *Omnium abdicacionem propter Christum a nullo fieri posse extra veras Religiones manendo, sine peccato mortali, id est, per Sedem Apostolicam approbatas.* V. *Papam non posse dispensare cum sæcularibus, ut omnibus in singulari careant.* VI. *Religiosum non posse sine peccato mortali abdicare voluntatem habendi communia, quando actu talia non habet.* VII. *Nullum posse paupertatis, obedientiæ, & castitatis consilia meritorie observare, nisi fuerit in statu approbatæ Religionis.* VIII. *Matronas seu Virgines, communem vitam ducentes, æternæ damnationis esse filias, & earum statum esse prohibitum.* IX. *Non licere Presbyteris & Clericis communem vitam ducere, nisi in Religione approbata, sub peccato mortali.* Tandem Auctor

*Hist. Eccles. Tom. XXVI. C c totam*

Sæcul. XV.

A.C. 1418.



Secul. XV.  
A. C. 1418.

totam hujus doctrinæ summam ad viginti quinque articulos restringit, ex quibus infert, in nullo statu præter Religioforum instituta perfectam vitam duci, neque consilia Evangelica, nec paupertatis virtutem ab iis, qui laicalem vitam profitentur, exerceri posse.

§. CXXX.

*Cardinalis Alliacensis sententia de propositionibus Grabonis.*

Hos articulos Martinus V. examinandos dedit Cardinali Alliacensi, & Gersonio. Cardinalis sententia erat, principale fundamentum doctrinæ Graboniana non modo rationi, Theologiæ morali, sed etiam primitivæ Ecclesiæ disciplinæ adversari, item erroneum ac hæreticum esse, si dicatur; Christianam Religionem non recte a sæcularibus observari, nisi ejusdem præcepta in quodam monasterio professi sequerentur: tandem in hoc libello plures alias reperiri propositiones scandalosas, temerarias, imo & protervas, atque ideo librum hunc tanquam hæreticum flammis esse tradendum.

§. CXXXI.

*Gersonii scriptum in eandem sententiam.*

*Gerson. to. I.* Gersonius quoque hanc in rem composuit libellum a tribus diversæ Aca-  
*P. 474.* demia



demixæ Doctoribus celebratissimis appro- Sæcul. XV.  
A.C.1418.  
batum. Ejus judicium Cardinali de Al-  
liaco consonat, quod sex propositionibus,  
& totidem argumentis, ac corollariis  
corroborat, quorum analyfin huc ad-  
ducam.

*Propositio I. Sola Religio Christiana  
proprie ac vere dicenda est Religio. II.  
Hæc non obligat ad observantiam Consilio-  
rum. III. Et observari potest perfecte  
absque voto obligante ad consilia. IV. Re-  
ligio Christiana non requirit ad perfectiorem  
sui observationem, quod superaddatur alia  
Religio v.g. S. Augustini &c. V. Religio-  
nes hujusmodi improprie dicuntur status per-  
fectionis. VI. Religio Christiana perfe-  
ctius debet observari a Papa, Cardinalibus,  
& Prælati quam a Religiosis. Ex his se-  
quentia deducit corollaria. I. Ergo ac-  
ceptio Religionis sicut Grabon describit, est  
nedum stulta, sed & hæreticalis blasphemia.  
II. Papa, Cardinales, & Prælati debent ce-  
leriter, & vehementer operam dare, ut ta-  
lis doctrina extirpetur, ne serpat in majorem  
perniciem. III. Si auctor talis doctrinæ in-  
veniatur pertinax, & nolit obedire superio-  
ribus suis, debet carceri mancipari.*

§. CXXXII.

*Palinodia Matthæi Grabonis.*

**H**æc censura suo non caruit effectu;  
nam causa in Concilio Constantien-



**Sæcul. XV.** si cognita, Matthæus ad solemnem palinodiam coram Commissariis cantandam compulsus fuit, ejusque retractatio invenitur in operibus Gerfonii ad calcem tractatus, quem contra hosce errores scripsit.

**A.C. 1418.**  
*Gerfon. op.*  
**p. 474.**

## §. CXXXIII.

*Pañtum Friderici Austriaci cum Cæsare.*

*Vander Hardt to. 4.*  
**p. 1544.**

**A**diit Austriæ Dux Fridericus, hortante Martino V. Marsburgum, castrum prope Constantiam situm, in gratiam Imperatoris rediturus: Huic negotio aliquot dierum mora interponebatur; tandem vero in Monasterio Münsterlingano haud multum Constantia disito die vigesima quinta Aprilis pax utrinque firmata est, his conditionibus: Dux Imperatori fidem suam juramenti religione obstringat, atque eidem multæ loco septuaginta millia florenorum exsolvat, hocque pacto statuum suorum possessionem recuperet. Firmato hoc foedere, Elector Brandeburgicus, comitantibus Archiepiscopo Rigenfi, & Comite Oettingano, coram Sigmundo sistit Fridericum, cui Imperator juramenti formulam legendam præbuit, quo peracto data dextera ad concordiam cum illo rediit. Postea Fridericus auctoritate Pontificis a quodam Cardinale



dinale absolvitur, cui Imperator solemniter omnes ditiones cum omnibus titulis, juribus, Regaliis, ac privilegiis restituit. Si nonnullis Scriptoribus fides est, Frederici reconciliatio sincera non fuit, nam Cæsari, irrito licet conatu, vitæ insidias struxisse fertur. Tandem Anno millesimo quadringentesimo trigesimo nono Dux iste, post varia rerum discrimina ex imprudentibus ejus consiliis enata mortalitatem exiit.

Sæcul. XV.  
A.C. 1418.

§. CXXXIV.

*Sessio quadragesima quarta.*

Die 19. Aprilis Imperatore præsentem, *Labb. Conc. Sessio XLIV. habita est, in ea jussu to. 12. p. 257.*

Papæ Cardinalis de Chalanto legit Bullam hujus tenoris: *Martinus &c. Cupientes Decreto hujus Generalis Concilii satisfacere, pro loco proxime futuri Concilii celebrandi, consentiente & approbante Concilio, civitatem Papiensem deputamus.* Hanc urbem omnes congregati, & ipse quoque Imperator approbant, dissentientibus Nationis Gallicæ Deputatis, qui huic sessioni non intererant, cum eorum genio hujus loci selectus non arrideret.

§. CXXXV.

*Quædam Bullæ Martino V. adscriptæ.*

Priusquam ad Sessionem ultimam progrediamur, referendæ sunt nonnullæ *Bzov. an. 1418. n. 2.*



dinale absoluitur, cui Imperator solemniter omnes ditiones cum omnibus titulis, Sæcul. XV.  
A.C. 1418. juribus, Regaliis, ac privilegiis restituit. Si nonnullis Scriptoribus fides est, Frederici reconciliatio sincera non fuit, nam Cæsari, irrito licet conatu, vitæ insidias struxisse fertur. Tandem Anno millesimo quadragesimo trigesimo nono Dux iste, post varia rerum discrimina ex imprudentibus ejus consiliis enata mortalitatem exiit.

## §. CXXXIV.

*Sessio quadragesima quarta.*

Die 19. Aprilis Imperatore præsentē, Labb. Cont.  
to. 12. p. 257. Sessio XLIV. habita est, in ea jussu

Papæ Cardinalis de Chalanto legit Bullam hujus tenoris: *Martinus &c. Cupientes Decreto hujus Generalis Concilii satisfacere, pro loco proxime futuri Concilii celebrandi, consentiente & approbante Concilio, civitatem Papiensem deputamus.* Hanc urbem omnes congregati, & ipse quoque Imperator approbabant, dissentientibus Nationis Gallicæ Deputatis, qui huic sessioni non intererant, cum eorum genio hujus loci selectus non arrideret.

## §. CXXXV.

*Quædam Bullæ Martino V. adscriptæ.*

Priusquam ad Sessionem ultimam progrediamur, referendæ sunt nonnullæ Bzov. an.  
1418. n. 2.



dinale absolvitur, cui Imperator solemniter omnes ditiones cum omnibus titulis, juribus, Regaliis, ac privilegiis restituit. Si nonnullis Scriptoribus fides est, Frederici reconciliatio sincera non fuit, nam Cæsari, irrito licet conatu, vitæ insidias struxisse fertur. Tandem Anno millesimo quadringentesimo trigesimo nono Dux iste, post varia rerum discrimina ex imprudentibus ejus consiliis enata mortalitatem exiit.

Sæcul. XV.  
A.C. 1418.

§. CXXXIV.

*Sessio quadragesima quarta.*

Die 19. Aprilis Imperatore præsentem, *Labb. Conc. Sessio XLIV. habita est, in ea jussu to. 12. p. 257.*

Papæ Cardinalis de Chalanto legit Bullam hujus tenoris: *Martinus &c. Cupientes Decreto hujus Generalis Concilii satisfacere, pro loco proxime futuri Concilii celebrandi, consentiente & approbante Concilio, civitatem Papiensem deputamus.* Hanc urbem omnes congregati, & ipse quoque Imperator approbant, dissentientibus Nationis Gallicæ Deputatis, qui huic sessioni non intererant, cum eorum genio hujus loci selectus non arrideret.

§. CXXXV.

*Quædam Bullæ Martino V. adscriptæ.*

Priusquam ad Sessionem ultimam progrediamur, referendæ sunt nonnullæ *Bzov. an. 1418. n. 2.*



Sæcul. XV.  
A. C. 1418.

Bullæ Martino V. attributæ. Prima decernit promptam, & liberam Apostolicorum Brevium executionem. Cum enim tempore Schismatis, vel Episcoporum negligentia, vel repugnantia, non raro Bullæ summorum Pontificum vel omnino non, vel tardius, quam S. Sedis auctoritas postularet, executioni datæ fuissent, Pontifex approbante Concilio præcepit, ut deinceps Bullæ confestim ad effectum perducerentur, etiamsi a nullo Prælato relectæ ac approbatæ fuissent. Altera omnino prohibet Mendicantibus, ne sub quovis prætextu ad aliam Religionem (Carthusianorum excepta) transfirent, adjecta excommunicationis poena, a qua solus Pontifex, ac non nisi in mortis articulo, absolvere valeat tam novum Ordinem ingressos, quam ad eum recipientes. Tertia dispensat in lege vitandi excommunicatos, saltem si nominati & a Judicibus publice denunciati, vel notorii, & convicti Clericorum percussores non sint. An autem hæ Bullæ, præcipue ultima re ipsa a Martino V. emanaverint, dubitandi locus est.

§. CXXXVI.

*Episcopus Leodiensis dimisso Episcopatu uxorem ducit.*

Bzob. an.  
1418. n. 8.

Certior est dispensatio Joanni de Bavaria

ria



ria a Pontifice concessa, vi cuius, quam-  
vis non nisi Sub-Diaconatus Ordine ini-  
tiatus esset, viginti tamen octo annis Leo-  
diensi Ecclesiæ præfectus, relicto Episco-  
patu uxorem duxit. Joannis enim Fra-  
ter Guilielmus Hollandiæ, Hannoniæ,  
Frisiæque Comes, absque prole mascula  
decessit, Jacobina vero, una e Filiabus,  
dicti Comitis, consentiente populo, om-  
nium ditionum regimen suscepit. Joan-  
nes ergo illam imperio deturbare sta-  
tuens, præprimis Dordracum, Roteroda-  
mum, & Briellam occupat. Dein suos  
Legatos Constantiam mittit, qui cum Cæ-  
sare conferrent, & Pontifici Episcopatus  
sui, utpote quem cum nubendi proposito  
conciliare non posset, cessionem offerrent.  
Imperator prævie obtentis a Papa omni-  
bus ad hoc necessariis, desponsat eidem  
neptem suam, Antonii, Brabantiae Ducis  
viduam, quam & uxorem Joannes Bava-  
rus duxit, postquam a Sigismundo earum  
Provinciarum, quas petierat, supremum  
Dominium, salvis illarum privilegiis, ob-  
tinuerat.

## §. CXXXVII.

*Archiepiscopus Rigensis in Episcopatu  
Leodiensi successor.*

Igitur cum Joannes Bavarus Episcopa-  
tum suum ita abdicaret, Martinus V.

Sæcul. XV.  
A. C. 1418.Windeck  
cap. 14.



Sæcul. XV. successorem nominabat Joannem de Wal-  
 A.C. 1418. lenrod Rigensem Archiepiscopum; huic  
 quippe Cardinales Leodiensem Ecclesiam  
 jam tum promiserant, cum a Cæsaris ac  
 Germanorum partibus deficeret, ac in-  
 electionem Pontificis reformationi Eccle-  
 siæ præmittendam consentiret.

*Vid. supr.*  
 §. 58.

## §. CXXXVIII.

*Sessio XLV. & ultima. Finis Con-  
 ciliî decima sexta Novembris Anno  
 1414. inchoati, & 19. Augusti  
 hoc anno absoluti.*

*Labbe Conc.*  
 to. 12. p. 258. Tandem Patres Synodo finem imposi-  
 turi Sessionem XLV, & ultimam die  
 22. Aprilis præsentem Imperatorem celebra-  
 runt. Ubi Cardinalis Aquilejensis Missam  
 de Spiritu Sancto solemniter decantabat,  
 qua absoluta Præsidis locum sibi pro-  
 prium occupans, sermonem legit, dein ve-  
 ro Cardinalis *S. Viti in Macello* elata vo-  
 ce jussu Papæ ac Concilii hæc verba pro-  
 nuntiavit: *Domini, ite in Pace*, & omnes  
 adstantes responderunt: *Amen.*

## §. CXXXIX.

*Poloni condemnationem Libri Falcken-  
 bergii urgent.*

*Dlugoff hist.*  
*Polon. l. II.*  
 p. 376. Jamjam suggestum conscenderat Episco-  
 pus Cathanensis orationem dicturus,  
 cum



cum Casparus de Perusio sacri Consistorii Advocatus, Legatorum Poloniæ adlatus suum stantium nomine, assurgens petit, ut Liber Joannis de Falckenberg publice damnaretur, eoquod hæreses, atque propositiones Regno, & Poloniæ Regi exitiosas contineret, ac demum velut liber jam pridem damnatus declararetur, cum a Deputatis ad causas fidei, necnon a quinque Concilii Nationibus, & a Cardinalium Collegio jam antea unanimi suffragio proscriptus esset.

Sæcul. XV.  
A.C.1418.

§. CXL.

*Repulsa Polonis a Pontifice data.*

Paulus Volodimirus, unus ex Poloniæ Legatis, cum Advocatum in suo libello supplici quædam omisisse animadverteret, schedam hac super rescriptam lecturus surrexit. Ast Pontifex indicto silentio declarabat: *Quod omnia & singula determinata, conclusa, & decreta in materia fidei per præsens Concilium, conciliariter (id est synodaliter & in plena Sessione) & non aliter nec alio modo facta tenere, & inviolabiliter servare velit.* Quasi dixisset, quod non intendat approbare, quæ duntaxat per Nationes decreta, nec tamen in generali Concilii confesso fuere approbata, qualia sunt, Decreta reformationis in Sessione XXXIX. proposita con-

C c 5 demna-



Sæcul. XV. demnatio errorum Joannis Parvi, & Falckenbergii (\*). Interim hoc responso Legatus minime territus, lectionem suam prosequi voluit, verum cum Martinus V. ipsum cessare juberet, sub excommunicationis pœna, hic nomine Regis Poloniæ, & magni Ducis Lithuanianæ ad futurum provocavit Concilium, petiitque, intercessionis suæ publicum confici instrumentum. Verum Pontifex ejusmodi Appellationibus jam antea obicem posuit, dum per Bullam superius relatam eas fieri prohibuit. Dupinus narrat, Bullam istam, in qua appellatio a summo Pontifice ad Concilium interdicitur, nec lectam, nec in ulla Sessione approbatam, sed duntaxat in quadam particulari Cardinalium Congregatione promulgatam fuisse. Finita hunc in modum Polonorum caussa, Episcopus Cathanensis orationem dixit.

§. CXLI.

(\*) Supple, & Decreta Sessionis IV, & V. quæ nequidem sacro Collegio ad deliberandum oblata fuere, & quæ Cardinales, natio Italica, ipsique Oratores Gallici annitente præsertim Imperatore Sigismundo expungi petierunt. Vide Abbat. Panormit. Regest. Concil. Const. Schelstrat. in act. Conc. Const. fol. 2. & seqq. Galli. Vindic. Diss. 3. §. 4.



## §. CXLI.

Sæcul. XV.  
A.C. 1418.*Patribus discedendi facultas per Bullam data.*

Abfoluto hoc fermone, Cardinalis de *Lab. Conc.*  
Chalanto legit Bullam, qua Papa Con-<sup>tom. 12. p.</sup>  
cilium diffolutum declarat; En illius te-<sup>259.</sup>  
norem: *Martinus, Episcopus servus ser-*  
*vorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*  
*Hoc etiam requirente præfenti sacro Con-*  
*cilio, ipsum Concilium absolvimus, omnibus-*  
*que & singulis in eo existentibus ad propria*  
*remeandi licentiam impertimur. Item au-*  
*toritate Dei omnipotentis ac Beatorum Pe-*  
*tri & Pauli Apostolorum, ejus, & nostra,*  
*concedimus omnibus, & singulis, qui in hoc*  
*sacro Concilio, & caussa ipsius interfuerant,*  
*absolutionem plenariam omnium peccato-*  
*rum, semel in vita, ita, quod quilibet de præ-*  
*dictis infra duos menses, postquam ad ejus*  
*notitiam hujusmodi concessionis pervenerit,*  
*possit dictum beneficium absolutionis assequi*  
*in forma.*

*Similem concessionem facimus in mor-*  
*tis articulo, & intelligimus tam de Domi-*  
*nis, quam de familiaribus eorundem: Sic*  
*tamen, quod a die notitiæ præsentium, pro*  
*absolutione in vita jejurent per annum feria*  
*sexta, & pro absolutione in mortis Articulo*  
*per alium annum, nisi legitime fuerint impe-*  
*diti.*



Sæcul. XV. A.C. 1418. *diti. Quo casu debeant alia opera pietatis peragere. Post secundum vero debent etiam usque ad finem vitæ feria sexta jejunare, vel alia opera pietatis peragere. Nulli ergo liceat hanc paginam infringere &c. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.* Huic Bullæ Cardinalis Vivariensis consensit, ac totius Concilii nomine respondit, *Placet.* Ita ergo absoluta est Constantiensis Synodus, postquam illius Sessiones tres ferme annos cum dimidio tenuerant. Necdum tamen schisma radicatus extirpatum, alterum vero præcipuum curæ synodalis negotium, nempe reformatio, vix cæptum, ad aliud tempus remissum est.

## §. CXLII.

*Concordata Pontificis cum Nationibus.*

*Vander  
Hardt to. 4.  
p. 1567.*

Synodo sic absoluta Imperator Tigurum diverterat, sed post brevem moram Constantiam rediit, accepto nuncio, Comitem de Schwarzenburg, primum ejus Ministrum obiisse, necnon proximum instare Pontificis discessum. Interea die secunda Maji Martinus V. concordata cum Nationibus inita promulgavit. Quibus Galli omnium virium contentione repu-



repugnabant, Papa tamen nullatenus cedere voluit; cum vero Atrebatensis Episcopus hæc concordata Parisios detulisset, ea protinus Senatus regius rejecit, ac libellum Pontifici exhibendum confecit. Ceterum in hisce concordatis Papa disposuit de numero, & qualitate Cardinalium, de provisionibus Ecclesiarum, & Monasteriorum, de reservationibus Sedis Apostolicæ, de Collationibus Beneficiorum, de gratiis expectativis, de confirmationibus electionum, de Annatis, de causis in Romana Curia tractandis, de Commendis, de Indulgentiis, & dispensationibus. Hoc loco duntaxat Concordata Nationis Gallicæ recenseo, quæ Germanorum, & Anglorum concordatis haud absimilia sunt, etenim omnia secundum normam Articulorum reformationis supra §. C. relatorum instruebantur. Galli tamen ea non acceptarunt, utpote Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus contraria.

## §. CXLIII.

*Decimæ ad annum Imperatori concessæ.*

Cum Sigismundus pro unione Ecclesiæ plurimas fecisset expensas, Pontifex ex Cardinalium consilio, atque ex Germaniæ Præsulorum consensu eidem

Sæcul. XV.  
A.C. 1418.

CON-



Sæcul. XV. concessit, ut omnes unius anni redditus  
A.C. 1418. Ecclesiastici tam in suis Provinciis, quam  
 in Trevirensi, & Basileensi necnon Leo-  
 diensi Dioccesibus percipere valeret, ex-  
 cepit tamen bona Cardinalium, Hospita-  
 larium S. Joannis, & Ordinis Teutoni-  
 ci, adeo ut nec obstarent quæcunque  
 privilegia, aut exemptiones. Rigenfi  
 Archiepiscopo, Passaviensi, & Brande-  
 burgico Episcopis per Breve Apostoli-  
 cum imposita fuit decimas hæc colli-  
 gendi provincia. Res tamen sua non ca-  
 ruit difficultate; Germanorum enim Ec-  
 clesiæ Commissariis ad exequendum hoc  
 negotium deputatis sua exponebant onera,  
 quo tamen successu, ignoramus, cer-  
 tum porro est, hanc collectam turbas ex-  
 citasse, parumque abfuisse, quin hoc præ-  
 mium Cæsari, utpote pacis conciliatori,  
 indultum, cruenti in Germania belli fo-  
 mes esset.

## §. CXLIV.

*Pontificis discessus Constantiæ pro-  
 mulgatus.*

*Platin. in  
 Mart. V.*

**M**artinus V. electionem suam a toto  
 Christiano Orbe legitimam agnosci  
 gavifus, redditum suum in Italiam matu-  
 rare intentus erat; quapropter die quarta  
 Maji, quæ erat feria quarta publice de-  
 nuntiari jussit, se sine ulteriori mora pro-  
 xima



xima die lunæ Constantia discessurum. Sæcul. XV. A.C. 1418.  
 Imperator rei hujus novitate perculsus, impense Papam rogat, residua adhuc anni parte ibidem commorari vellet, plura enim, quæ deciderentur, superesse. Ast reposuit Papa, discessum suum haud ultra moram pati, eo quod Patrimonium Ecclesiæ deprædationibus expositum, & Romana Civitas belli, famis, pestilentiae, necnon civilium dissensionum malis oppressa ingemisceret. Quare enixe se obtestari, ut harum rationum momentis, atque expositæ necessitati Cæsar cedere vellet, aliunde etiam, cum a toto Christiano Orbe verus S. Petri successor coleatur, justum, æquumque esse, ut hujus S. Apostoli Sedem occuparet, cum enim Romana Ecclesia omnium ceterarum Mater esset, oportere, ut ibidem Romanus Pontifex resideret. Imperator Pontificem retineri posse desperans, & ipse abitum parat.

## §. CXLV.

*Discessus summi Pontificis.*

Interea vero Martinus quindecim adhuc dies Constantiæ hærebat, tandem decima quinta Maji, re divina in Ecclesia Cathedrali peracta, postera die Constantia discessit, comitantibus eum Imperatore, aliisque Principibus. Insidebat e-  
 quo

*Monstrelet.*  
*Vol. I. p. 192*



Sæcul. XV. quo albo Pontificalibus indutus ornamento, tectusque umbraculo, quod quatuor A.C. 1418. Comites deferebant. Sequebantur omnes Nobiles Viri Equestres tanta frequentia, ut horum numerus ferme ad quadraginta millia ascenderet, haud computata pene innumera pedestris comitatus multitudine; cum ad Urbis portas perveniret, ex equo descendens, & Pontificalem habitum deponens, rubram togam induit, aliumque equum conscendit, in quo sub comitatu Cæsaris ac Principum Gottlebiam pergebat, ubi Rheno sese committens, Scaphusiam tendit, Cardinalibus aliisque suis Aulicis terrestri itinere insequentibus. Inde vero Imperator cum ceteris Principibus Constantiam rediit, atque absente Papa suam præsentiam haud fore necessariam ratus, itineri sese accinxit.

## §. CXLVI.

*Discessus Sigismundi Imperatoris.*

Nonnisi vigesima prima Maji die abiit Cæsar, iterque suum versus Argentoratum direxit, quasdam Alsatiaë urbes Imperio subditas visurus. Sunt, qui perhibent, illum Montisbeligardi cum Duce Burgundiaë consilium iniisse, quo pacto Galliam diffidiis scissam concordiaë restitueret, atque opportunis mediis Armeniacum



niacum Comitem, præcipuum publicæ Sæcul. XV.  
 pestis fautorem compesceret; verum di- A.C. 1418.  
 vina Justitia severissimo flagello de cædi-  
 bus in Franciæ regno perpetratis vindi-  
 ctam sumpsisse videtur, quippe a mense  
 Junio usque ad finem Octobris pestilen-  
 tia tam atrox sæviit, ut Parisiis plusquam  
 quadraginta hominum millia, maximam  
 partem de infima plebe, consumpta fue-  
 rint.

## §. CXLVII.

*Continuati Gallorum tumultus.*

Ex quo Delphinus a Franciæ Metropoli *Juv. Ursin. 1*  
 fuga se subduxerat, ejus fautores pro *Hist. Car. VI*  
 illo strenue dimicabant. Galli vero, qui *Monstrelet.*  
 neutri parti adhærebant, nec privatis *c. 186.*  
 commodis intenti erant, dubii fluctua-  
 bant, utrum vel Regis imperio, quem Bur-  
 gundus genio suo obsecundantem habuit,  
 vel potius proximi hæredis mandatis ob-  
 temperarent. Nam quo se verterent,  
 periculum imminebat, nè tanquam rei  
 ac rebelles proclamarentur. Interim Bri-  
 tanniæ Dux de pace agere cæpit, ejus-  
 que articuli ad S. Maurum prope Parisios  
 instruebantur; Verum qui Delphini au-  
 res importunius occupabant, toti in eo e-  
 rant, ne concordiæ pacta acceptarentur;  
 quapropter non nisi trium septimanarum  
 induciæ fuerunt initæ.

## §. CXLVIII.

*Histor. Eccles. Tom. XXVI.*

D d



Sæcul. XV.  
A.C. 1418.

§. CXLVIII.

*Discessus Electoris Brandenburgici,  
aliorumque Principum.*

Paucis ante Cæsaris discessum diebus Elector Brandenburgicus Constantiam reliquit. Abierunt pariter Archiepiscopus Gnesnensis, ceterique Poloniæ Legati, ægre tamen ferentes, quod juxta merita causæ, adversus seditiosum Joannis Falckenbergii librum nequidquam legis auxilium implorassent. Gersonius, qui ardentissimo juxta ac imperterritito zelo, quamvis frustraneo, Joannem Parvum condemnari instabat, ultroneo exilio semetipsum multabat, eo quod ob Ducis Burgundiæ potentiam tunc temporis formidandam in Gallias redire haud ultra auderet. Ergo sub peregrini habitu Rotenburgum in Bavaria sese recepit, ubi a Duce Alberto perbenigne exceptus, in sui defensionem varia scripsit opuscula. Tandem anno Domini millesimo quadringentesimo decimo nono Lugdunum in Coenobium Coelestinorum, in quo frater ejus, nomine Nicolaus, Prioris officium sustinebat, se contulit.

*Richer. apol.  
pro Gers.  
p. 304. &c.*

Ceterum Galli, antequam per suos Legatos Martini V. electionem canonicam fuisse comperissent, eundem revereri cunctabantur, veriti, ne obsequium illegi-  
timo



timo præstarent Pontifici, vulnusque, quod Sæcul. XV.  
curare venissent, periculosius redderent. A C. 1418.

Postquam vero Carolus VI. Rex intellexisset, hanc electionem juxta SS. Canonum præscripta fuisse institutam, Martinum ut legitimum Pontificem coluit, atque a toto suo Regno eundem agnoscere jussit; nihilo secius fortiter institit declarationi, ineunte mense Aprili a se datæ, qua Ecclesiam Gallicanam in suis libertatibus conservari, econtra vero Annatas, reservationes, subsidia, aliaque ejusmodi onera admodum odiosa aboleri, contenderat. Verum nequicquam adhibitis, quibus suam declarationem tuebatur, mediis, illa haud diu substitit.

§. CXLIX.

*Dux Burgundiæ Pontificis fautor.*

Burgundus enim, cujus nutui non modo Parisiensis civitas, regisque animus ancillabatur, sed etiam summa rerum ad genii sui imperium, ac privati commodi studium administrabatur, alteram declarationem anno nondum evoluta revocari jussit, eo consilio, ut Pontificem, & Cardinales sibi devinciret, quorum favorem in causa Joannis Parvi manifeste expertus est. Quocirca omni tempore, quo bellum cum Anglis flagrabat, Pontificum auctoritas in confe-



**Secul. XV.** rendis Galliaë beneficiis eadem erat, qua-  
**A.C. 1419.** lem ante edicti promulgationem Anno  
 Salvatoris millesimo quadringentesimo  
 sexto exercebant.

## §. CL.

*Mortuo Wenceslao Imperator Bohemice Rex electus; Zischa electionis adversarius.*

*Cochl. Hist.  
Bohem.*

Wenceslao Anno Domini quadringentesimo decimo septimo supra millesimum e vivis erepto, Bohemiaë regnum jure hæreditario Sigismundo Cæsari obtigit. Zischa vero Huffitarum Princeps, ac supremus eorum Bellidux ad Bohemiaë Proceres ab Imperatoris electione provocavit, etsi cum omnibus solemnitatibus peracta fuisset. Præterea Sigismundum omnino sceptri indignum esse proclamabat, eo quod supplicium Joannis Huffi, & Hieronymi Pragensis approbasset; Ergo Sectatorum suorum turmam convocat, Regni comitia agendi prætextu usus, atque ab eis sibi in mandatis dari postulat, ut bellum Sigismundo nunciaret, quo impetrato copias suas in bina dividit agmina, quorum illud adversus arcem Vissegrad nullo ferme negotio occupatam, alterum vero contra Pilsenæ oppidum educit, ubi cives in diversa studia abeuntes, atque aliunde præsidario mili-



milite destituti, ad primos insultus deditionem fecerunt. Opportunam equidem Imperator ad cohibendos Hussitarum progressus, & ad extinguendam hæresin, tunc nactus fuisset occasionem; cum autem pertimesceret, ne Turcæ Albamgræcam, unde abscesserant, simul ac Sigismundum adversus Bohemos arma movisse cognoscerent, reverterentur, rebus suis male consulit; inde enim factum, ut neglecta hac opportunitate Bohemiam amitteret, Hungariam vero infaustis armis tueretur, infidelibus magnam illius partem dire devastantibus.

Sæcul. XV.  
A. C. 1419.

## §. CLI.

*Papa Mantuam, & Florentiam profectus.*

Mense Decembri ad finem vergente, elapso anno Martinus V. Genua discens, superatis Alpibus Mantuam pervenit, inde Mense Februario currentis anni Florentiam contendit. Quo in itinere a recta via studiose devius, Bononiam declinavit, quam urbem sub libertatis revocandæ prætextu Antonius Bentivolius in sua adhuc potestate tenebat. Florentini vero summum Pontificem præclaris honorum significationibus exceperunt, apud quos non modo reliquam anni, sed etiam potiolem sequentis partem trans-

Platin. in  
Martin. V.



Sæcul. XV.  
A. C. 1419.

git, præstolaturus, donec salvo Pontificiæ dignitatis honore Romam repetere, ibidemque tuto commorari sibi liceret; nondum enim Patrimonium Ecclesiæ ab hostili metu liberatum erat, arce S. Angeli, Ostia, ac urbe veteri sub Imperio Joannæ Siciliæ Reginæ adhucdum constitutis.

§. CLII.

*Martinus V. a Joanna Siciliæ Regina agnitus.*

Regina cum Pontificem Florentiam venisse intellexisset, eo decrevit summum Sicilianæ Curiaæ Prætozem, qui Martino V. Pontificios honores ejus nomine gratularetur, obsequiumque præstaret: Papa vicissim Cardinalem Petrum Maurocenum patria Venetum ad eam ablegavit, ut eidem Neapoli coronam imponeret, ea tamen lege, ut Jacobum Borbonium Maritum suum e custodia liberum dimitteret; quem jam longo tempore captivum detinebat, cum illa interim pudoris immemor turpissimis præfati Prætoris, aliorumque amplexibus indulgeret. Jacobus obtenta libertate pie usus, in Gallias rediit, & sæculi vanitates, atque adversos fortunæ suæ casus admodum pertæsus, S. Francisci institutum professus est, ibique usque ad annum



num Salvatoris nostri millesimum quingentesimum trigésimum sextum regum Sæcul. XV.  
 lari observantia aliis præluxit, sanctamque vitam coluit, quamvis ejus conjux A. C. 1419.  
 illius exemplo minime saperet, nec ad saniora rediret.

## §. CLIII.

*Epistolæ Poloniæ Regis ad Martinum Papam.*

Cum Pontifex Florentiæ ageret, allatæ sunt literæ, quas Poloniæ Rex in- *Vonder Hardt fo. 4.*  
 eunte hoc anno ad eundem perscripserat. Querebatur injuriam sibi occasione litis cum Equitibus Teutonicis a Synodo illatam, eo quod Nuncii Papales, etiamsi duntaxat ad conciliandam pacem, non vero ad decidendam Equitum Prufforum causam mandata accepissent, nihilominus Regem nec auditum, nec per se, nec per alium suo nomine præsentem condemnassent, quinimo sententiam in eum, priusquam sibi exhiberetur, promulgassent. Idem exponit, quod, quamvis ejusmodi sententia, ita opinante summo Pontifice, juri suo non derogaret, nihilo tamen se-  
 cius ejus famam læderet, cum saltem calumniatoris, atque iniqui litigatoris notam sibi aspergeret, se quidem, addebat, haud ægre ferre, Papæ Nuncios plus Equitibus, quam sibi propensos fuisse, non ta-



Sæcul. XV.  
A. C. 1419.

men dissimulare posse, quod illi existimationem suam apud omnes ejusmodi sententia tam inique denigrassent, hacque suffulti eo audaciæ, ac temeritatis processissent, ut nec de pace, nec de induciis ultra mentionem fieri paterentur.

Subjungebat demum, ipsum quoque Joannem Falckenbergium ab hisce Equitibus incitatum fuisse, ut Regiam suam personam velut Ecclesiæ, ac Christianæ Religionis eversores ubique proclamaret, quamvis inviolabile suum erga utramque studium facta luculenter demonstrarent: Equites econtra omnia pacta violasse, variis licet præliis devictos, itentidem tamen ad arma rediisse, se vero, licet frequentem de Equitibus victoriam reportasset, ad primum tamen Papæ, Cæsarisque nutum victricibus suis armis finem imposuisse, spe fretum, tandem firmam, solidamque pacem, eorum opera, stabiliendam esse; Ceterum se haud ignorare, Nuncios illos aperto partium studio abreptos fuisse, se tamen iisdem Conciliatoribus usurum, ac de pace cum Teutonicis acturum, dummodo Sanctitas sua injuriam iniqua hac sententia sibi illatam reparare, suumque honorem redintegrare dignaretur. Dlugoffus, qui hanc Epistolam Historiæ suæ Polonicæ integram inseruit, testatur. Pontificem, tam suorum Nunciorum, quam Equitum agendi rationem

Lib. II.



nem vehementer improbasse; unde haud Sæcul. XV. A. C. 1419.  
 temere conjicimus, eodem tempore Pa-  
 pam in gratiam rediisse cum Polonorum  
 Legatis.

## §. CLIV.

*Perusium a Papa recuperatum.*

Post hæc summus Pontifex Florentiæ Anton. in tit. 22. c. 7.  
 adhucdum agens nullum non movit  
 lapidem, ut Mediolani Ducem Pandulfo  
 de Malatestis reconciliaret; nec piis Mar-  
 tini studiis optatus defuit eventus. In-  
 terea Braccius Mantuanus, qui nomen  
 Defensoris Romanæ Urbis sibi arrogave-  
 rat, a Sfortia inimico suo, & Reginae  
 Neapolitanæ Connestabili urbe pulsus est,  
 ac præter Perusium, aliasque nonnullas  
 Patrimonii D. Petri civitates, reliquas  
 omnes amisit, quas ab obitu Ladislai Ec-  
 clesiæ ditionibus ereptas possederat.  
 Hic, cum studiosissimus esset Joan-  
 nis XXIII, arma adversus Martinum V.  
 movit, cujus anathema adeo petulanter  
 vilipendit, ut per ludibrium ipse quoque  
 summum Pontificem excommunicare  
 præsumeret. Quapropter Martinus in-  
 fensissimi hujus hostis vires fracturus, ur-  
 bes, quæ adhucdum ejus tyrannidi subdi-  
 tæ erant, recuperare aggressus est, Flo-  
 rentinis Pontifici validam opem ferenti-  
 bus, quorum opera tandem Braccius ad



Sæcul. XV. A. C. 1419. pedes Pontificis procumbere compulsus fuit, relictis ei duntaxat quibusdam oppidis, atque pagis, quos tanquam Papæ Vicarius teneret; quamquam haud diu ferox illius animus quiesceret. His peractis Martinus illico Bononiam ingressus, cum Venetis sædus inibat.

## §. CLV.

*Balthasar Cossa Martino V. adhærens.*

*Platin. in  
Mart V.  
Onuphr. de  
Rom. Pon-  
tif.*

Die decima septima Martii quatuor Cardinales Petri de Luna, qui ante exauctorationem suam Benedictus XIII nuncupabatur, Martinum V. adibant, illum velut legitimum, ac unicum agnoscentes Pontificem, quos Papa admodum benevole excepit, ob eorum reditum ingenti perfusus lætitia, quæ tamen vix non imense creverat ex Balthasaris Cossæ, antehac Joannis XXIII, submissione. Hic jam quartum ferme annum captivus detinebatur, tandem Florentini, quos semper sibi addictos experiebatur, Martinum supplices adibant, ut pietate motus Virum libertati assereret. Constat etiam Balthasarem eodem tempore liberum evasisse, sive ex pacto, quod Martinus ipsemet cum Comite Palatino de ejusdem libertate inierat, cum nihil ultra ab illo timeret, si intra Italiæ fines detineretur, sive



five demum ex triginta aureorum mil-  
 lium lytro, quo libertatem suam redemif-  
 se, Ciaconius, aliique existimant. Cer-  
 tum insuper est, quod Balthasar in Par-  
 mæ finibus ad veteres Amicos suos in-  
 viferit, eorumque non paucos numerave-  
 rit, qui eum, si forte ad Papatum redi-  
 re cuperet, consilio, opibusque juvare pol-  
 licebantur; quinimo haud deerant, qui il-  
 lum, ut denuo Papalia insignia assumeret,  
 fortiter urgebant, sive affectu erga illum,  
 sive odio adversus Neo-electum Papam  
 stimulati, sive demum novitatum studio,  
 aut melioris fortunæ spe animati; unde  
 parum absuit, quin schismatis cicatrix  
 recens obducta, iterum refricata fuisset.

Sæcul. XV.  
 A. C. 1419.

§. CLVI.

*Balthasar ante Pontificis pedes pro-  
 stratus illum tanquam Papam  
 veneratur.*

Equidem tam ampla Amicorum suorum  
 pollicitatio, gravis, eaque periculosa  
 erat ambizioso homini tentatio; cum  
 enim Balthasar honorum cupiditate arde-  
 ret, vel saltem passim talis ab aliis habe-  
 retur, facile inde nactus quoque fuisset  
 injurias hucusque perpessus ulciscendi oc-  
 casionem; præterea non sine veritatis  
 specie illa omnia, quæ tam Constantiæ,  
 quam in carcere egisset, nonnisi vi ac me-  
 tu

tu



Sæcul. XV. tu extorta, denuo nulla declarare potuif-  
A. C. 1419. set. Nihilominus contemptis hisce om-  
nibus, quasi novum hominem induisset,  
nonnisi suo consilio usus, inconsultisque  
amicis suis, pridie ad festum Corporis  
Domini die decima quarta Junii Floren-  
tias contendit, solus ferme, nullisque se-  
curitatis literis munitus; moxque, cum  
advenisset, in pleno Patrum confessu ad  
Martini V. pedes provolutus, ejus cle-  
mentiam exorat, illum tanquam verum  
& unicum Christi Vicarium veneratur;  
atque insuper singula, quæ in Synodo  
acta fuissent, confirmat. Hoc spectacu-  
lum adstantium oculis lacrimas expressit,  
ipsiusque Pontificis viscera tanto misera-  
tionis sensu commovit, ut illum humi pro-  
stratum manibus suis elevans, pluribus  
paternæ benevolentiae, ac tenerrimi amo-  
ris significationibus complecteretur, ut-  
que omni, quo posset, modo ab ejus  
mente exutæ dignitatis memoriam abo-  
leret, illum eo honoris gradu auxit, qui  
parum a priori, a quo exciderat, abes-  
set. Itaque non modo in Cardinalium  
numerum adoptatus, ac S. Collegii De-  
canus creatus est, sed insuper in omni-  
bus publicis functionibus, Consistoriis, aut  
Congregationibus secundum a Papa lo-  
cum obtinuit, atque in subsellio ceteris  
sublimiori sedit.



§. CLVII.

Sæcul. XV.  
A. C. 1419.*Obitus Balthasaris Cossæ, dicti Joannis XXIII.*

His tamen honoribus exiguo admodum *Platin. in*  
 tempore utebatur; quippe vigesima *vit. Pontif.*  
 secunda Decembris die sexto post Men- *Martin. V.*  
 se mortalitatem exiit. Senex Cosmas  
 de Medicis insignis ejusdem Amicus, sui-  
 que ævi non modo in Italia, sed forte in  
 universo Orbe divitiis, atque magnificen-  
 tia celebratissimus, Balthasaris exequias  
 tam splendida decoravit pompa, ut sum-  
 morum Pontificum funeribus majori ho-  
 nore ac Majestate parentari haud potuis-  
 set; idemque defuncto celeberrimum in  
 Ecclesia S. Joannis monumentum poni  
 curavit.

§. CLVIII.

*Manfredus Dominicanus.*

Cum Papa Florentiæ ageret, Domini- *Antonin.*  
 canus quidam, nomine Manfredus, *tom. 20. c. 7.*  
 Vercellensis, vir pietatis fama clarus An- *S. 8.*  
 tichristum proxime venturum annuntia-  
 bat, argumentis ex Apocalypsi mutua-  
 tis, quibus magnam Virorum, mulie-  
 rumque copiam tanto percutit timore,  
 ut relictis omnibus suis bonis, tertium  
 S. Dominici Ordinem amplecterentur, at-  
 que Viri a conjugibus separati, sub disci-  
 plina



Sæcul. XV. A.C. 1419. plina dicti Manfredi, ex labore manuum victum quærentes, novum vitæ genus instituerent, divinum officium magna cum devotione persolventes. Pontifex autem veritus, ne successu temporis ejusmodi Congregationes in Ecclesia Dei nova afferrent mala, eas abolevit, & singulos sodales domum suam repetere jussit, eisque Eleemosynas conferri prohibuit, nec tamen hoc institutum funditus evellere potuit, ob ferventissima populi in Manfredum studia, quamvis S. Bernardinus Senensis Ordinis S. Francisci, illum in Concionibus suis impugnasset.

## §. CLIX.

*Mors S. Vincentii Ferrerii. Ejus opera.*

*Ap. Surium* *5. April.* Sanctus Vincentius Ferrerius quinta Aprilis hujus Anni Venetiæ in Britannia ad cœlos migrasse creditur. Jam pluribus in locis hujus Sancti mentionem fecimus, impræsentiarum duntaxat de ejusdem scriptis loquimur, quæ omnia typis excusa, & pluribus editionibus Ulmæ, Colonæ, Argentorati, Lugduni, & Venetiis publicæ luci data fuere. Potior eorum pars sermones complectitur, qui gravitate Apostolici ministerii, ac Viri sancti-



sanctitate minus digni videntur \*. Præ-  
 ter hosce sermones eidem quoddam attri-  
 buit opusculum, de vita spirituali, seu  
 de homine interno; item de Oratione  
 Dominica; tractatus de fine mundi, seu  
 de ruina vitæ spiritualis; de dignitate  
 Ecclesiastica & de fide Orthodoxa; nec-  
 non de duplici adventu Anti-Christi, qui  
 varias continet Prophetias, seu commina-  
 tiones, præter tractatum consolatorium in  
 tentationibus fidei. Exstant quoque aliquæ  
 illius Epistolæ, una ad Benedictum XIII,  
 de qua jam superius, altera ad Joannem  
 Puteanum Ordinis FF. Prædicatorum  
 Generalem, tertia ad Bonifacium fratrem  
 suum, qui Ordinis Carthusianorum erat  
 Præpositus numero vigesimus quintus, &  
 quarta ad Gersonium, quæ duæ postremæ  
 incompletæ prostant, binæ ad Infantem  
 Arragoniæ, Petri IV Regis Filium, &  
 alia denique ad Ferdinandum I. Arrago-  
 niæ Regem. Ceterum Vir ille a Cali-  
 sto III. Divorum fastis Anno Salutis mil-  
 lesimo quadringentesimo quinquagesimo  
 quinto adscriptus est.

Præ-Sæcul. XV.  
 A. C. 1419.

Bullar.  
 tom. I.

§. CLX.

\* De his Natalis Alex. ad Sæcl. XV. fol.  
 178. scribit: has Conciones ipsius esse, ut edi-  
 tæ sunt, ægre mihi persuasero, quamvis do-  
 ctrinam ipso non indignam contineant.



Sæcul. XV.  
A. C. 1419.

§. CLX.

*Dux Britanniae in custodiam datur.*

Galliæ ingentes, quibus identidem agita-  
batur, tumultus vix non ultimam rui-  
nam comminabantur. Equidem Dux Bri-  
tanniæ dudum dissidentium animos com-  
ponere intentus erat, irritum tamen conatu,  
unde in terras suas rediit, ac propriæ suæ  
securitati consulturus, cum Anglis foedus  
pepigit, quo sibi de mutuo contra aggres-  
sores auxilio cautum esset. Margarita  
Pentievre. enim Clifsonia Joannis Bleffensis, Pontive-  
rii Comitis vidua, Britanniae Ducatum  
sibi vindicare meditabatur, prætendens,  
eundem hæreditariam esse quatuor suo-  
rum filiorum portionem; hos ergo, ut  
Britanniæ Ducem caperent, instigat, in  
cujus consilii partem etiam venit Delphi-  
nus, ægre ferens, quod altesatus Dux in  
Anglos nullatenus arma vertere, sed neu-  
tras partes sequi meditaretur. Hi igitur  
telam, quam exorsi sunt, perfecturi, Du-  
cem quam plurimis amicitiae signis de-  
mulcent, animique relaxandi gratia ad  
Chanto-  
ceaux. Castrum-celsum, quod prædium in An-  
degavia possidebant, invitant. Venit il-  
le cum fratre suo Richardo inermis, ac  
cum exiguo suorum comitatu, a Olive-  
rii jussu, qui inter hosce quatuor fratres  
natus major erat, a quadraginta Equiti-  
bus armatis comprehenditur, & vinculis,  
loris-



lorisque arcte constrictus, ad castrum Pa-  
 ludelli in Pictaviensi agro situm abstrahi-  
 tur, inde vero ad varia alia loca raptatur,  
 sparso interim ubique rumore, Ducem  
 præ nimio animi mærore mortuum, aut  
 undis submersum periisse. Tam atroci  
 facinore universa Britannia vehementer  
 commota, ad arma convolat, Ducisque  
 conjugii plusquam quinquaginta hominum  
 millia submittit, quorum præsidio Mari-  
 tum libertati restitueret.

Sæcul. XV.  
 A.C.1419.

§. CLXI.

*Aggressores hujus Ducis capitali sen-  
 tentia damnati.*

Ergo Castrum-celsum obsidione cingi-  
 tur, in quo tamen haud amplius Dux,  
 prout credebatur, sed sola Margarita Clis-  
 sonia cum unico Filio suo morabatur.  
 Hæc vero, cum jamjam pars muri tor-  
 mentorum vi everfa esset, ob imminens  
 vitæ periculum tam vehementi per-  
 celliebatur timore, ut animo fracta, mor-  
 bi, mortisque angustiis oppressa, in singu-  
 la ferme momenta nuncios ad Oliverium  
 Filium suum ablegaret, sollicitans, ut, si  
 Matris suæ vitam caram, salvamque vel-  
 let, Ducem e custodia dimitteret. An-  
 nuit quidem Oliverius, sed Britanno, an-  
 tequam eum libertati restituisset, iniquum  
 obtrudit pactum, ac quascunque de-

*Hist. Eccles. Tom. XXVI.*

E e mum



Sæcul. XV.  
A.C. 1419. mum libebat, conditiones ab eo extorsit, unde factum, ut illud a Britannis nullo modo acceptaretur. Hinc quatuor istorum Fratrum causa in iudicium deducitur, ipsique capitali sententia mulctantur, castra eorum solo æquantur, ac bona publicata, ne amplius ad dejectos possessores redire possent, Viris potentia præcipuis traduntur.

## §. CLXII.

*Rothomagum ab Angliæ Rege oppugnatum, captumque.*

*Polyd. l. 22.* Ferventibus hisce dissidiis Rex Angliæ ineunte Mense Junio Rothomagum obsidione premit. Nobilitas loci, & probata civium fides merito exposcere videbatur, ut ad solvendam obsidionem extrema adhiberetur sollicitudo; varia prointtentabantur media; nunc quippe per Pape Legatos connubium Catharinæ de Francia cum Henrico V. offerebatur, nunc collectis quibusdam copiis vim vi repellere cæptum est; sed incassum omnia; Rex enim tales Anglis proponebat conditiones, quas acceptare abs re fuisset, aliunde Delphinus hanc urbem potius Burgundicam, quam Gallicam reputans, parum anxius erat de obsessorum fletibus, quamvis jamjam ad incitas redacti essent. Nam ferme triginta hominum  
millia



millia fame consumpta, & plusquam vi-  
 ginti millia grassante lue perierunt; hinc Sæcul. XV.  
A.C.1419.  
 cives deditioem fecerunt, ea lege, ut An-  
 glis nonnisi trecenta aureorum millia  
 penderent, simulque tres primæ Nobili-  
 tatis Viros traderent, quos inter Blan-  
 chardus capite truncatus est. Adimple-  
 tis hisce conditionibus Henricus V. inco-  
 las suis legibus permisit vivere, ac die  
 decima nona Januarii currentis anni mil-  
 lesimi quadringentesimi decimi noni ur-  
 bem ingressus est, qua capta Anglorum  
 armis tota cessit Normannia.

## §. CLXIII.

*Angliæ & Franciæ Regum consul-  
tatio.*

Omniū sollicitudo in id intenta erat, Juven. Urs.  
Hist. Car. VI  
 ut non modo ambo Reges, sed etiam  
 Armeniacus, & Burgundiæ Dux firmo  
 fædere conjungerentur. Hunc in finem  
 præprimis Galliam inter, & Angliam tri-  
 mestres sanciantur induciæ, quibus trans-  
 actis uterque Rex in vicinia Meloduni  
 convenirent, & tam de pace, quam de  
 futuro connubio conferrent. Actum pa-  
 riter de intestinis Gallorum tumultibus,  
 quibus regnum in duas factiones scinde-  
 batur, ad quos sedandos Delphinus trium  
 annorum, Burgundus vero duorum non-  
 nisi mensium inducias postulabant, qua-

E e 2 rum



**Sæcul. XV.** rum fiducia Dux fretus, si cum Delphino in gratiam rediturus esset, vel Anglos communibus armis aggredi, vel foedere cum illis inito, atque eorum subsidio auctus, totam belli molem in Delphinum transferre moliebatur. Ergo locus, in quo uterque Rex ad colloquium ex pacto congregeretur, nominatur silva quædam muris septa, ac Meloduno parum distita. Cum vero Carolus VI. Pontifaræ morbo impeditus hæreret, Regina ejus vices supplens, secum Catharinam de Francia adduxit, quam Henricus Angliæ Rex sibi desponsari cupiebat.

## §. CLXIV.

*Delphini cum Burgundo pacis compositio.*

*Monstrelet.*  
*vol. I. c. 26.*

Ubi vero illi, qui Delphino a consiliis erant, de futuro colloquio edocebantur, Burgundiæ Ducem sibi devincire, ac denuo cum illo in gratiam redire festinabant; unde sinceræ reconciliationis spes affulgere videbatur, quam ipsemet Burgundus anxiiis votis exoptabat, perceptisque primis concordiæ pactis eo inducebatur, ut obfirmato magis animo ferme omnia Anglorum postulata rejiceret, quo factum, ut pristina cum Anglis amicitia multum defervesceret, quinimo exiguo post tempore mutuum inter eos odium



odium palam fieret. Ergo Dux Pauliaci, <sup>Sæcul. XV.</sup>  
 quod altero lapide Meloduno distat, Del- <sup>A.C. 1419.</sup>  
 phinum convenit, atque ambo sub dio in- <sup>Pouilly - le</sup>  
 ter utriusque exercitus ordines sibi invi- <sup>fort</sup>  
 cem occurrunt, ac singuli decem Nobi-  
 libus stipati, foedus ibi percutiunt, quo a-  
 micitiam, & mutua auxilia juramenti  
 religione firmata spondent, & si fors  
 data fides frangeretur, sese S. Sedis judi-  
 cio subjiciunt. Itaque pacis conditioni-  
 bus Sacramento firmatis, decernunt, se  
 decima octava Augusti die Monterigoli  
 ad pontem Icaunii, comitantibus ex par-  
 te utriusque duntaxat decem Viris,  
 denuo congressuros, ut reliqua diffidio-  
 rum capita amice componerent, ita ta-  
 men, ut durante pacis conventionem Bur-  
 gundus in castro, Delphinus autem in ur-  
 be habitaret, atque in ipso ponte, qui ca-  
 strum ab urbe dividit, bini ponerentur  
 cancelli duabus portis instructi, quos in-  
 ter medius daretur locus undique bene  
 septus, qui uno tramite aditum ad ca-  
 strum, altero vero ad urbem panderet,  
 per eosque ad congressum convenirent  
 Principes. Tanaquilus de Castello, &  
 Joannes Luvetus Provinciæ Prætor non  
 alio ex consilio hoc colloquium urge-  
 bant, quam ut Burgundiæ Ducem eo  
 facilius e medio tollerent, quem Pauliaci  
 morti tradere ausi non fuerant, nunc ve-  
 ro hi ipsi cancelli commodius sanguinario



Sæcul. XV. eorum proposito favebant. Delphinus  
 A.C. 1419. præstituto die Monterigolum se confert,  
 Duce ultra quindecim dies moras trahente;  
 Nam quominus hunc locum accederet, obstabant suorum Amicorum monita, terrebat propria proximi fati sui præfaga mens, ac Judæi cujusdam vaticinium; hic enim, nomine Magister Musca, inter Ducis domesticos alebatur, eisdemque prædixerat, illum quidem Monterigolum iturum, sed nunquam rediturum: nihilominus Burgundus spretis his omnibus cujusdam foeminæ de Gyac, quam turpi amore deperibat, suasionibus cessit.

## §. CLXV.

*Burgundus in ponte Monterigoli ex insidiis trucidatus.*

*Monstrelet.*  
 c. 212.

Tandem die decima Septembris Burgundiæ Dux advenit, quem Delphinus jam a vigesima sexta Augusti expectabat. Ergo ex pacti lege in castro habitat, inde vero in pontem descendens, ad aditum, quo locum clausum intraverat, excubias ponit, ac demum Delphini pedibus provolvitur; cum autem surgere jussus cum eo loqueretur, Tanquillus de Castello cum suis cancellos transiliens, in Ducem irruit, pluribusque hastæ suæ ictibus faucium interimit. Burgundi Ducis milites sicariorum impetus molli



molli brachio repellebant, excepto solo Sæcul. XV.  
 Nobili de Nouailles Buchiensis Dynastæ A.C.1419.  
 fratre, qui cum strenue sese parricidarum  
 gladiis objiceret, vulnere affectus, tertio  
 ex post die animam efflavit. Multi Del-  
 phinum hujus cædis conscium fuisse af-  
 firmabant; Juvenalis tamen Ursinus in  
 Historia Caroli VI. omnibus viribus eum  
 ab hoc crimine absolvere nititur: Alii  
 econtra horrendum hoc facinus, vel jussu,  
 vel consilio cujusdam Principis, proxi-  
 mi Gallicæ coronæ hæredis patratum  
 fuisse, asseveranter testantur. Utut res  
 se habeat, hoc flagitium honori, ac famæ  
 Delphini teterrimam notam inussit.

## §. CLXVI.

*Philippus paternæ cædis vindex.*

Philippus unicus defuncti Ducis hæres Juven. Urs.  
 Patris sui cædem ulcisci parabat, nec l. c.  
 consilio suo vires deficiebant, cum omnes  
 Burgundicæ Domus Amici, cunctique  
 Gallis male affecti validum offerrent auxi-  
 lium. Quinimo facinoris atrocitas e-  
 tiam magis imbelles animabat, & Pari-  
 sienses antiqua sua renovabant studia;  
 Philippus quoque populi amorem sibi con-  
 ciliaturus, Anglos ad ineundas inducias  
 induxit, exclusis Delphini Deputatis, li-  
 cet eadem ex caussa Rothomagum venis-  
 sent. Eo ex temporis articulo Galli,  
 Angli,



Secul. XV. Angli, & Burgundi perinde, ac si unius  
A.C. 1420. Patris filii, eademque gens essent, mu-  
 tuam coluere amicitiam, atque anno se-  
 quenti Henricus V. Anglorum Rex Ca-  
 tharinam de Francia matrimonio sibi co-  
 pulavit.

## §. CLXVII.

*Emanuelis Imperatoris Filii Catholi-  
 corum Principum Filiabus de-  
 sponsati.*

**I**n Oriente Emanuel Constantinopoli ad-  
 huc sceptrum rotabat. Princeps erat  
 apprime doctus, præcipue tamen schis-  
 maticorum erroribus, eorumque parti-  
 bus usque adeo addictus, ut ad tuendas  
 illorum opiniones ipse calamum suum  
 exercuerit. Verum successu temporis  
 fervor decrevisse videbatur, sive ex eo,  
 quod veritatem agnoverit, sive quod eam  
 agnovisse, in sui commodum simulave-  
 rit. Hic, dum Isthmum Corinthiacum  
 clauserat, ut Turcas Peloponesi aditu ar-  
 ceret, Latinorum fidei unacum Euthymio  
 Patriarcha, Theologo præstantissimo i-  
 terum accedere decreverat; cum ergo  
 comperisset, demortui Patriarchæ suc-  
 cessorem, Josephum Metropolitam Ephe-  
 sinum paria fovere desideria, petiit a Mar-  
 tino V. nuper in Constantiensi Synodo  
 electo, ut senos, quos habebat, Filios,  
 Joan-



Joannem, Theodorum, Andronicum, Constantinum, Demetrium, & Thomam Principum Catholicorum Filiabus connubio locare posset, quod & ejus precibus datum est.

Sæcul. XV.  
A.C. 1420.

## §. CLXVIII.

*Joannes Palæologus Emanuelis Filius  
in consortium Imperii adscitus.*

Quod ubi impetravit Emanuel, hoc ipso anno Joannes ejus Filius natus major Sophiam Marchionis Montferratis Filiam uxorem duxit. Postea Emanuel senio, atque adversa valetudine plurimum viribus exhaustus, Joannem in societatem imperii vocavit, utque data occasione de Latinorum auxilio certior esset, animo constituit, denuo ad eorum unionem reverti. Compulerant Imperatorem ad capessendum ejusmodi consilium calamitosæ ævi sui rationes; cum enim Mustaphæ partibus adversus Amuratem II. Turcarum Sultanum ejusdem fratrem faveret, ab illo satis gravi premebatur bello, cui utpote hosti potentissimo Emanuel, cum imparem se esse cereretur, ad Papam confugit, ejusque auxilium imploravit.



Sæcul. XV.  
A.C. 1420.

§. CLXIX.

*Emanuelis Legatio ad Pontificem.*

Ergo ad subeundam hanc provinciam Legatos nominat, Episcopum Theodorum, & Nicolaum Eudemonem Joannem celeberrimum, ac maximæ apud Græcos auctoritatis Virum. Hos Papa Florentiæ cum ingenti lætitia excepit, cognoscens, quod Græciæ Imperatores, Emanuel, & Joannes Palæologus, hujus nominis tertius, Filius natu maximus, nuper in imperii confortium vocatus, Ecclesiæ latinæ cum omnibus subditis sese aggregare decrevissent, atque hujus rei causa Synodum Constantinopoli convocari petiissent. Quare summus Pontifex Cardinalem S. Angeli ad perficiendum hoc salutare consilium Legatum designat, præmisso prius Patre Antonio Massano supremo FF. Franciscanorum Præposito, qui præliminaria tractaret negotia. Fidem quoque Pontifex utrique Imperatori dedit, quod Christianos Principes ad auxilia adversus Turcas ferenda sollicitaturus esset, interim eos hortatus, ut sincero ad Ecclesiæ finem reditu Deum sibi propitium redderent,

§. CLXX.



## §. CLXX.

Sæcul. XV.  
A.C. 1490.*Neapolitani Regni jura Ludovico a  
Pontifice asserta.*

Quamvis Papa Martinus V. Joannam II. *Raynald an.*  
 pro Siciliae, & Neapolis Regina a-1420. n. 8.  
 gnosceret, utpote cui etiam utriusque  
 regni possessio suffragabatur, nihilominus  
 Ludovico III. jus ad hanc coronam di-  
 plomate ad finem anni millesimi qua-  
 dringentesimi decimi noni dato confir-  
 mavit. Infaustum hoc consilium Pontifici  
 suggestit Joannes Caracciolus supremus  
 Neapolitanæ Curiaæ Prætor, Joannæ Re-  
 ginæ ante omnes alios gratissimus, cui  
 illa non modo liberam regni, sed & cor-  
 poris sui potestatem indulserat. Hanc  
 autem turpitudinem quidam Neapo-  
 litani Proceres permolestè ferentes, sub  
 hoc prætextu Ludovici Andegavenfis  
 factionem denuo suscitaverunt, jamque Sfor-  
 tia, insignis ille conjuratorum Princeps  
 ab eis in auxilium vocatus, Regnam in  
 extremas redegit angustias; cum subito  
 Caracciolus, vir prompti consilii, impro-  
 bæ licet vitæ, in Procidam Insulam spon-  
 taneo exilio semetipsum mulctaret, ut  
 Dominam suam ab exitio tempestive li-  
 beraret.

## §. CLXXI.



Sæcul. XV.  
A. C. 1420.

§. CLXXI.

*Caracciolus a Regina Legatus ad  
Papam missus.*

Eo in exilium deportato pax rediit, & Sfortia supremus totius regii exercitus renuntiatur Præfectus; Regina vero, quæ in cunctis a Caraccioli, licet exulis, arbitrio atque consiliis semper pendebat, eundem tanquam oratorem suum ad Martinum V. etiamnum Florentiæ commorantem decernit, eo consilio, ut illum remotiori adhuc exilio castigasse crederetur.

§. CLXXII.

*Pacta Pontificem inter & Neapolis  
Reginam.*

Caracciolus tanta dexteritate gratiam Pontificis aucupari, illumque in suas partes pertrahere noverat, ut foedere inito Martinus non modo Reginae auxilia adversus quoscunque, sed etiam ejusdem coronationem a Legato Pontificio peragendam sponderet: Illa vero vicissim arcem S. Angeli, Ostiam, urbemque veterem, quas civitates a Rege fratre ejus defuncto illa adhucdum tenebat, Pontifici restituere, ac Columnensibus amplissimas in regno suo ditiones concedere pollicebatur, fide etiam data, se sanctitati suæ,



fuæ, quam citissime, aduersus Braccium, Sæcul. XV.  
A.C.1420.  
qui Perusium, aliaque loca subegerat, validissimo exercitu suppetias laturam.

Hoc pacto utrinque executioni dato, Martinus Cardinalem Maurocenum, Venetum, Neapolim Legatum decrevit, qui Reginam solemniter coronaret, hac tamen lege, ut illa Maritum suum e custodia dimitteret; cui etiam obtemperavit Regina; Sfortiam vero, ut a regno suo amoveret, cum subsidiariis copiis aduersus Braccium ad Papam misit. Jamque prælium utrinque committitur, & Sfortia, quamvis nullam impigri Ducis partem omitteret, suaque animi fortitudine partam ubique gloriam comprobaret, hac tamen pugna devictus est, per summam perfidiam a Nicolao, & Gilberto Ursinis proditus; hi enim, dum prælium acrius instaret, ex condicto cum suis copiis propius ad hostium vexilla transibant. Papa clade percepta Reginam impense hortatur, ut ad redintegrandum Sfortiæ exercitum supplementa militum submitteret, illa vero surdas præbuit aures; Caracciolus enim denuo Neapolim redux Reginae auctor fuit, ut amplius quidem, inanibus tamen promissis Papam detineret; quippe Sfortiam opprimere animo constituerat. Hic autem haud ignarus, quæ faba sibi cuderetur, ad pristina Neapolitanorum Procerum consilia rediit, ac  
consen-



Sæcul. XV. consentiente Papa secretarium suum ad  
A.C 1420. Ludovicum III. Andegavensem, qui tum  
 in Provincia agebat, ablegavit, impense  
 rogans, ut Regni, quod omni jure ipsius  
 esset, habenas capefferet.

## §. CLXXIII.

*Neapolis a Sfortia Ludovici Andegavensis nomine obsessa.*

Tam opportunam occasionem Ludovicus avideprehendit, atque altissimum Sfortiæ Secretarium cum ingenti pecuniarum vi, qua bellum inchoaret, redire jubet, pollicitus, se quoque cum valida classe, quam mox Massiliæ instrui curaret, proxime venturum. Sfortia his firmatus subsidiis, recto tramite copias suas Neapolin ducit, ipsique Reginae baculum, militaris imperii signum, reddit, declarans, bellici sui sacramenti tempus expirasse, proin se imposterum sub Ludovico Rege stipendia meriturum. Igitur Proceribus, qui Andegavensis partes tuebantur, sese adjungit, omnesque Neapolis aditus sedulo intercludit, ne terrestri itinere in amplam hanc urbem quidquam commeatus inveni possit. Carracciolus proximi periculi conscius, nulla mora Antonium Caraffam ad Pontificem Florentiæ agentem ablegat, rogans, ut auxilio esset, priusquam Classis

ex



ex Provincia appelleret. Ubi vero Antonus intellexit, Papam Sfortiæ, & Ludovici Andegavensis partibus adversus Regnam adhærere, proin in eo nullius præsidii spem esse repositam, clam consilia agit cum Arragoniæ Legato, qui pariter Pontifici infensus erat, eoquod Regis sui postulatis repugnasset.

Sæcul. XV.  
A.C. 1420.

§. CLXXIV.

*Consilia cum Arragoniæ Legato de liberanda Neapolis urbe.*

Huic Caraffa proponit, quod magis expediret, Neapolitanæ urbi suppetias ferre, quam in Corsicam Genuensium Insulam expeditionem movere, maxime, cum jam aliunde Alphonsus illam validissima classe oppugnaret, his addit, certo Regem a Regina adoptatum, regnique Neapolitani successorem nominatum iri, si eidem in extremo hoc discrimine opem ferre haud cunctaretur. Ad hæc respondit Legatus, Alphonsum, dummodo Caraffa Reginæ suæ mandatum exhibere valeret, haud ægre consensurum. Quam ob rem nuncius Neapolin ablegatur, ac septimo abhinc die Reginæ mandatum obtinetur, unde foedus, quamvis Hispana gravitas negotio moram ingerere timeretur, tanta tamen celeritate confectum est, ut simul ac Caraffa auctoritate & nomine



Sæcul. XV. mine Joannæ Neapolis Reginae Alphon-  
 A C. 1420. sum Arragoniæ Regem adoptasset, hic e  
 vestigio Reginae sexdecim triremes opti-  
 me instructas cum ingenti navium nu-  
 mero, ductore Raymundo Pariglios su-  
 premo rei navalis Præfecto transmiserit,  
 ipse etiam paulo post cum validiori ad-  
 huc exercitu subsecuturus.

Interea vero Ludovicus Andegaven-  
 sis cum tredecim triremibus, & sex na-  
 vigiis Massilia solvit, ad ostium Sebethi  
 fluminis, alias *Fornello*, seu *Rio della Mag-  
 dalena* dictum, exscensione facta Sfortiæ co-  
 piis sese adjunxit. Quo factò ambo Neapo-  
 lin tanto impetu terra marique cinxerunt,  
 ut amplissimam hanc urbem omni com-  
 meatu intercluderent, & Neapolitanos  
 de deditioe pacisci compellerent.

## §. CLXXV.

*Obsidio a Sfortia, & Ludovico An-  
 degavensi soluta.*

Verum priusquam urbs deditioem fa-  
 ceret, die sexta Septembris oppor-  
 tuna celeritate Alphonsi exercitus adve-  
 nit, quo conspecto mox omnis mutata est  
 rerum facies. Hæ enim copiæ Ande-  
 gavensibus numero longe superiores, ea-  
 dem die portum occupant, maris liberum  
 aperiunt aditum, urbemque præsidio, at-  
 que annona abunde instruunt; unde Lu-  
 dovicus



dovicus obsidionem solvere cogitur; Re-  
 gina vero, ut hostibus validius resisteret, Sæcul. XV.  
A.C.1420.  
 conditiones pacis cum Braccio iniit, huic  
 maxime proficuas. Ergo ille confestim  
 cum copiis suis ingentem Sfortianorum  
 Equitum stragem edidit, non sine acerbo  
 Pontificis dolore, qui experiri cogebatur,  
 quod Regina Braccium, juratum S. Se-  
 dis hostem, ad suas traxisset partes; quo-  
 circa aperto Marte adversus eam pugna-  
 re decrevit, & Ludovico Andegavensi  
 militum subsidia sub Duce Tartaglia sub-  
 misit.

## §. CLXXVI.

*Alphonfus Arragoniæ Rex a Joanna  
 adoptatus.*

Hæc dum geruntur, ipse Alphonfus cum Marian. l. 20  
c. 11.  
 potenti classe viginti quinque trire-  
 mium, ac plurimarum navium bellicarum  
 apparatu Neapolis portum ingreditur,  
 Victoris adinstar a Regina incredibili  
 lætitia exceptus; Ergo ex pacti legibus  
 castri novi, & castri Ovi possessionem ac-  
 cipit, Regina vero adoptionem Alphonfi  
 solemniter confirmat, eumque utpote  
 Regni successorem, Calabriae Ducem pro-  
 clamat. Hinc Papa veritus, ne Alphon-  
 fus, (ita enim minabatur) ad obsequia  
 Petri de Luna rediret, duos Cardinales  
 Legatos ad eum misit, qui Ludovicum

*Hist. Ecclesiast. Tom. XXVI. Ff An-*



Sæcul. XV. Andegavensem Alphonso reconciliare  
A.C. 1430. studerent; Hi vero nil nisi inducias impetrabant, quæ tamen primum anno sequenti suum fortitæ sunt effectum.

## §. CLXXVII.

*Victoria Zischæ.*

*Balb. Epit.  
 rer. Boh.*

Zischa, Hussitarum Dux, insignem prorsus in Bohemia reportavit victoriam, atque Catholicorum equestribus copiis penitus deletis, pedestres, qui nimio terrore perculsi, ne quidem primos hostium impetus sustinebant, in fugam egit. Zischa, ut ad victoriæ summam perveniret, feria tertia pridie ad diem cinerum Anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo, noctis beneficio Auscam invaserat; ambo enim hujus urbis Toparchæ Copejus, atque Ulricus, incolas suos, utpote Hussitas, ex illa propulsabant. Copejus vero cum ingenti præfidiarii militis numero trucidatus est, Ulricus autem ad castrum Litiū auffugit, quem tamen ibidem Zischa manu sua interemit, omnesque, quotquot armati occurrerent, promiscue jugulari præcepit.

## §. CLXXVIII.

*Copiæ a Sigismundo in Bohemiam missæ.*

Simulac Imperator de prosperis Hussitarum



rum successibus edocetur, mille hastatos, Sæcul. XV.  
 Equestris exercitus robur, in Bohemiam A.C. 1420.  
 mittit, ut victricia Hussitarum arma pro-  
 hiberent, ne ultra Aufcam procurrerent.  
 Verum omnes hi equites nocte, quæ Pa-  
 rasceves diem præcedit, qua interfecti,  
 qua ab Hussitis capti fuerunt. Ipse quo-  
 que eorum Dux ægre admodum fuga sa-  
 luti suæ consuluit. Demum vero Vo-  
 glisæ oppidum a victoribus expoliatum,  
 flammis consumptum est.

## §. CLXXIX.

*Urbs nova a Zischa condita, ac Tha-  
 bor appellata.*

Postquam Hussitarum exercitus sat vi- *Æn. Sylv.*  
 rium habebat, ut Ducis sui ad altio- *hist. Bohem.*  
 ra aspirantis imperia exequi valeret, hic *c. 43.*  
 urbem condere statuit, in quam sui Se-  
 ctatores, velut ad opportunum adversæ  
 fortunæ præsidium sese recipere possent;  
 præsenferat enim, sibi brevi cum toto  
 Cæsaris exercitus robore confligendum.  
 Ergo montem quemdam Peninsulæ haud  
 absimilem seligit, quem hinc amnis alluit,  
 illinc torrens non ignobilis rigat. Adi-  
 tum urbis profunda fossa, ac triplex  
 murorum ambitus non minoris latitudi-  
 nis quam firmitatis claudit. Novæ huic  
 Urbi nomen Thabor indidit, eique sectæ  
 suæ studiosissimos incolas dedit; novæ  
 F f 2 autem



Sæcul. XV. autem Pragæ, quam astu cæperant Hus-  
A. C. 1420. sitæ, Ceuchonem præfecit, quem Impe-  
 rator oblata perduellionis venia, ut di-  
 ctum locum cederet, compulit. Zischa  
 vero re comperta, quantocius copias suas  
 urbi admovet, cujus tamen arx adeo va-  
 lide munita erat, ut facile omnes Hussi-  
 tarum impetus eludere posset, donec  
 Cæsar exercitum suum contraheret. Er-  
 go Sigismundus recto itinere Pragam  
 contendit, atque Hussitas novæ Pragæ  
 obsidionem solvere cogit, non modo ur-  
 bem Thabor expugnaturus, sed etiam  
 eodem victoriæ cursu totum sectariorum  
 agmen extincturus. Quapropter me-  
 diam exercitus sui partem castra move-  
 re jubet, ac Rossenio & Cragero Comiti-  
 bus belli imperium mandat. Zischa  
 vix horum adventum intelligens, mox  
 Hussinetzio Cæsareos insequi præcipit, a  
 quo etiam cæsi fugatique fuerunt.

## §. CLXXX.

*Cæsaris exercitus ab Hussitis cæsus.*

*Cochl. 1.5.* Cæsar acceptam cladem ulturus, Zischæ  
 castra in eminenti monte, quem Vil-  
 lechonem appellant, posita expugnare  
 conatur. Ergo Hussitas omni ex parte  
 aggreditur, jamque Misniæ Marchio in  
 castra irruit, sectariis nequidquam resi-  
 stentibus. Zischa persuasus, de suorum  
 salute



salute actum fore, nisi Cæsari reliquas quoque suas copias admovendi spacium præriperet, eumque ex occupato loco propulsaret, tanto furore ac impetu instare cæpit, ut Cæsarei post trinam irruptionem in partem montis maxime præruptam acrius protruderentur, atque ex alto deturbati, per abrupta præcipites agerentur. Qua clade tantopere fracti erant Imperatoris milites, ut Zischa novam Pragam recuperaret, atque victor urbem ingrederetur. Cæpit etiam arcem Wissegrad, Cæsare jam quarta vice profligato, qui die vigesima Martii Bohemia excedens, ad compescendos Moravorum rebellium insultus Silesiam contendit.

## §. CLXXXI.

*Secta Horebitarum.*

Post hæc Zischa suos sectariis recens natis coinquinatos comperiens, illos ab hac fæce purgandi consilium cæpit. Hi Orebitarum, seu Horebitarum nomen sibi arrogabant, eoquod fingerent, se fidem sectari, quæ æque sancta esset, ac lex a Deo Moyse in monte Horeb data. Ceterum ab Hussitis non discrepabant, nisi quod Sacerdotes ac Religiosos quovis fævitæ genere divexarent, credentes, se ingens Deo præstare obsequium, si illos inter atrocissima tormenta neci darent.

Sæcul. XV.  
A.C. 1420.



Scal. XV. A. C. 1420. Hinc quosdam igne crudeliter comburebant, alios vestibus penitus nudatos, & binos ac binos invicem colligatos rigente hyeme super stagna glacie constricta projiciebant. Hos tamen penitus extirpare Zischa non audebat, veritus, ne vel minima suorum divisio hostium potentiam augetet, eos nihilominus adstrinxit, ut junctis suis quoque armis cum eo bellum gererent, vicissim illis spondens, se imposterum nullis Catholicorum Sacerdotibus vitæ gratiam concessurum.

## §. CLXXXII.

*Sacra militia adversus Hussitas.*

*Æn. Sylv.*  
*l. c.*  
*Dubrav. lib.*  
*24. in fin.*

**D**ie prima Martii hujus anni Papa adhuc Florentiæ commorans, cognitis Hussitarum in Bohemia violentiis, ad Imperatoris preces contra eos, eorumque asseclas sacrum bellum indixit. Verum nec hoc anno Sigismundus benigniorem fortunam expertus est, postquam enim adversus Monasterium Claronense, quod Zischa ob opportunitatem loci in munitam arcem converterat, copias suas admovisset, nescio, an Zischæ adventus, vel potius victoriarum, quas reportavit, memoria Cæsareos tanto terrore oppresserit, ut nec justitiæ causæ, nec proprii honoris studium, nec Sacramenti fides



fides, nec ipsa Cæsaris salus in discrimen Sæcul. XV.  
 acta, eos absterrere sufficerent, quin signa A.C.1420.  
 relinquerent, atque una omnes turpi fu-  
 ga elaberentur. Hac ignominia, ac si-  
 nistro fato Imperator adeo percussus erat,  
 ut & ipse citato pede Bohemia excessse-  
 rit; cujus absentia Zischa ad immania  
 quævis perpetranda liberam nactus co-  
 piam, plane inauditas crudelitates exer-  
 cere cæpit.

## §. CLXXXIII.

*Concordiæ pacta Gallos inter &  
 Anglos.*

Philippus Burgundiæ Dux Patris sui cæ-  
 dem ulciscendi cupidine adeo impo-  
 tenter stimulabatur, ut nulla habita ratio-  
 ne extremi periculi, cui regnum illud  
 exponeret, ad quod tamen deficientibus  
 proximioribus hæredibus jure vocare-  
 tur, nuptias Regis Angliæ cum Cathari-  
 na Caroli VI. Filia ab illo expetitas pro-  
 movere decerneret. Itaque eo animo  
 cum Henrico Trecas in Campaniam venit,  
 ubi Galliarum Rex, qui ingenio parum  
 valebat, & Regina ejus conjux Henrico  
 addicta morabantur. Mox pacis fœdus  
 ineunt, quod omnes, qui aderant, Opti-  
 mates, cunctæque liberæ urbes, quæ  
 huic factioni adhæserant, jurejurando fir-  
 mabant. Quibus peractis in Ecclesia



Sæcul. XV. A.C. 1420. S. Joannis secunda die Junii nuptiæ Henrici V. Angliæ Regis cum Catharina solemnè pompa celebrantur, Henrico de Savoisy Senonum Archiepiscopo Regiosponfos sacris cæremoniis conjungente, ipsoque Carolo VI. futurorum malorum ignaro, ejusque Conjuge Regina præsentibus, quæ in hac occasione contra Delphinum proprium Filium suum potius sese Novercam, quam Matrem exhibuit.

## §. CLXXXIV.

*Hujus pactionis Articuli.*

*Juven. Urf. Hist. Car. VI* Hujus foederis leges erant: Henricum a Carolo in Galliarum regno successorem agnoscendum, liberos masculos hoc matrimonio nascituros in Gallia successuros, si Pater socero superstes esset; vivente autem Carolo Henricum nomine Gallicæ Regis non usurum; ast administraturum eum Rempublicam cum titulo Hæredis & Gubernatoris; utraque Galliarum, & Angliæ Regna unienda, & ab uno tantum capite tenenda esse, nimirum ab Henrico, ejusque mascula progenie, verumtamen salva utriusque independentia; utrumque Regnum particulares leges suas conservaturum, salvis quoque omnium harum Provinciarum, omniumque Personarum jûribus, ac privilegiis. Cæterum pacem cum Delphino ineundam non esse, nisi uterque Rex, Burgundiæ Dux, &



*Et status utriusque Regni consensissent.* Ju- Sæcul. XV.  
 venalis Ursinus testatur, alia capitula a- A.C. 1420.  
 deo iniqua & insana fuisse addita, ut po-  
 tius silentio premi deberent.

## §. CLXXXV.

*Expugnatio Senonum, Monterigoli,  
 & Meloduni.*

Post hæc ambo Reges, & Burgundiæ  
 Dux, Senonibus, & Monterigolo ca- *Juv. Ursin.*  
 ptis, Melodunum obsidere parant. *ibid.* Ar-  
 cis hujus Præfectus erat Dominus de Bar-  
 basan, qui præsidiarios numerabat Equi-  
 tum quam plurimos, vinci nescios, ac  
 pro viribus resistere paratos. Equidem  
 invicta horum virtus Henricum docuit,  
 quantæ molis esset totam expugnare  
 Galliam; nam quarto jam mense civitas  
 frustra oppugnabatur. Delphinus locum  
 ab obsidione Anglorum liberare tentabat,  
 ast cum horum castra undique validis-  
 sime munita essent, a proposito desistere  
 compellebatur; unde obsessi famis vio-  
 lentia expugnati deditionem fecerunt,  
 quibus data est vitæ ac libertatis gratia,  
 nullo lytro ab eis exacto. Nihilominus  
 his conditionibus non stetit Victor, sed  
 plurimi in custodiam dati sunt, sub ob-  
 tentu, ipsis nil nisi vitæ veniam fuisse  
 promissam. Ceterum de violata fide  
 Angliæ Rex postulabatur.

Ff 5 §. CLXXXVI.



Sæcul. XV.  
A.C. 1420.

§. CLXXXVI.

*Uterque Rex cum Reginis Lutetiam ingressus.*

*Walsing. in  
Henric. V.*

Quibus confectis ambo Reges Lutetiam veniunt, & prima Dominica Adventus ingenti pompa urbem ingrediuntur, sequenti vero die non minori solemnitate utraque sequebatur Regina, festivis populi acclamationibus excepta, Die sexta Decembris tres Regni Ordines conventum agentes, censum argenti se- librarum imponebant, quo Cives, Mercatores, & Clerici octavam bonorum partem conferre jubebantur. Adiit Angliæ Regem Parisiensis Universitas, supplicans, ut ab hoc onere eximeretur, sed surdas pulsabat aures, & Deputati precibus suis pertinacius insistentes, inhumaniter repellebantur; additis quoque carcerum minis; quocirca, ne in suspicionem etiam adducerentur, ac si Armeniacorum fautores essent, protinus recesserunt.

§. CLXXXVII.

*Delphinus a sententia in eum lata provocat.*

*Monfivelat.  
Vol. I. c. 224.*

Die vigesima tertia ejusdem Mensis Philippus Burgundiæ Dux, præsentate utroque Rege, eorumque Senatoribus  
in



in æde S. Pauli causam suam in iudicio  
 prosequitur, perorante Magistro Nicolao  
 Raulino Parlamenti Advocato. Allegat  
 is Burgundiæ Ducis Patris sui cædem,  
 atque adversus Delphinum, ceterosque  
 parricidii reos procedi postulat. Causa  
 ingenti animorum, vocisque contentione  
 utrinque agitur. Petrus de Marigny,  
 Advocatus Generalis, & Joannes Haque-  
 ninus supremus Procurator Delphinum  
 sceleris reum proclamant; hinc more con-  
 sueto ad tabulam marmoream (\*) ap-  
 pellatur, quo facto Delphinus perinde ac  
 si confessus, & de cæde convictus esset,  
 omni successionis jure, nominatim hære-  
 ditariæ Galliarum coronæ indignus, ac  
 regno in perpetuum proscribitur pronun-  
 ciatur. Delphinus ab hac sententia con-  
 tra jura, regniq; leges, ac ab incompe-  
 tentibus iudicibus lata ad Deum, suum-  
 que gladium provocat, & Parlamentum,  
 ipsamque Universitatem Pictavium trans-  
 fert, quo illustriora utriusque Ordinis  
 membra sese contulerunt. Unde in to-  
 to regno duplex erat rerum status, nem-  
 pe duo Reges, duæ Reginae, duo Par-  
 lamenta, duo Connestabiles, duo Can-  
 cellarii, totidemque rei navalis Præfecti,  
 imo in quolibet digniori officio duo nu-  
 mera-

Sæcul. XV.  
 A.C. 1420.

(\*) Ita in Galliis quoddam iudicium ap-  
 pellari, jam supra observavimus.



Sæcul. XV. merabantur Ministri, nil dicam de Mare-  
 A. C. 1420. scallis Franciæ. Itaque Henricus V., re  
 prospere in Gallis gesta, cum novella sua  
 Coniuge in Angliam rediit, ubi a subdi-  
 tis suis ingenti gaudio exceptus est.

## §. CLXXXVIII.

*Cardinalis S. Angeli Legatus Constan-  
 tinopolim profectus.*

Hoc anno Cardinalis S. Angeli ad Im-  
 peratorem Græcorum Legatus Con-  
 stantinopolim abiit, duabus munitus Pa-  
 pæ epistolis, una ad Joannem Palæolo-  
 gum, altera ad Josephum Patriarcham  
 Constantinopolitanum, quem summus  
 Pontifex novæ Romæ Archiepiscopus,  
 Fratremque suum appellabat. Has lite-  
 ras Imperatori reddidit Eudemon Joan-  
 nes, qui pluribus deprædicata sincera  
 Pontificis voluntate, Imperatorem, & Pa-  
 triarcham, ut ejus votis annuerent, per-  
 movere conabatur. Jam trigessimus  
 effluxerat annus, a quo nullus Papæ Le-  
 gatus Constantinopoli visebatur.

Ceterum Imperator & Patriarcha  
 Martino V. in hanc sententiam rescripse-  
 re: Unicum optatæ unionis medium es-  
 se œcumenicum ac liberum Concilium  
 Constantinopoli, & non alibi celebra-  
 dum, atque ab ipsomet Imperatore jux-  
 ta antiquam consuetudinem convocan-  
 dum.



dum. Hæ literæ sequenti anno in Occidentem perlatæ sunt. Papa hanc propositionem, etsi minus arrideret, penitus non rejecit, sed se consentire respondit, dummodo Joannes Imperator itineris sumptus, atque expensas Prælati necessarias suppeditaret; non enim Papam latebat, Joannis Palæologi vires adimplendæ conditioni impares esse, cum illum Turcæ bello premerent, ac suæ etiam Regiæ Metropolis expugnationem minitarentur, prout nonnullis post annis factum perspiciemus.

Secul. XV.  
A.C. 1420.

§. CLXXXIX.

*Braccii obitus.*

In hunc annum Spondanus refert, Braccium vivis ereptum fuisse; cum enim in quadam pugna, etsi sub alieno habitu dimicaret, a proscriptis tamen Perusinis in eum solum intentis agnosceretur, occisus occubuit, caruitque sepultura, utpote Ecclesiæ hostis, & excommunicatus. Non desunt tamen, qui mortem illius quarto ex post anno sub Francisco Sfortiæ Filio contigisse testentur. Hujus Viri obitus Pontificem ab hoste admodum terribili liberavit, qui jam eo insolentiæ pervenit, ut non modo Ecclesiæ statum sese eversurum, sed etiam Papam ad tantas angustias redacturum jactitaret,

Spond. an.  
1420. n. 10.



Sæcul. XV. ret, ut pro uno Bajoco, (species est  
A. C. 1420. monetæ Italicæ valentis sex obulos Turo-  
 nenses, seu decimam unius Julii partem) ex singulari favore Missam dicere cogere-  
 tur.

## §. CXC.

*Madera Insula cum Indiis Orientalibus detecta.*

Interea temporis Lusitani magna Henrici, qui Joannis Lusitaniæ Regis filius erat, liberalitate stimulati, illo ævo novas Insulas, novasque Nationes in Oceani vastitate detexerunt. Hi enim instructa classe ad ignotæ felicitatis spem in Occiduum pelagus sese commiserunt, ac præprimis Ulyssiponem inter & Insulas Fortunatas quandam aperuerunt Insulam, latitudine quidem exiguam, eximia tamen cœli, solique clementia pergratam, hanc pro jure suo Maderam nominarunt, quod cæduis lignis abundaret. Inde extrema Africæ litora obliquo cursu legentes, ad ultimas Orientis plagas penetrant. Atque insuper Orientales Insulas detegunt, quæ saltem, si loca spectentur maritima, hucusque incognitæ delitescabant. Inter præcipuos periculosæ navigationis hujus Duces potissimum tres celebrantur, nimirum Joannes Confalvus, & Tristanus, qui Maderam Insulam  
 Lusita-



Lusitanorum imperio adjungere, necnon Sæcul. XV.  
A. C. 1420.  
Ægidius Annus; qui Christianæ fidei  
aditum ad Hesperias, Æthiopes, aliasque  
inaccessas antehac Nationes nunc felici-  
ter inventas, primus aperuit. Postea  
Henricus Dux, ut Lusitanos ad iterata e-  
jusmodi itinera magis accenderet, a sum-  
mo Pontifice Martino V. impetravit, ut  
quicquid Lusitanæ Reges a Granatensi  
promontorio ad ultimam usque Indiam  
detecturi essent, Lusitanorum ditioni ce-  
deret, fuitque idipsum ab aliis deinde  
Pontificibus confirmatum, ut ex diversis  
eorum diplomatibus elucet.

## §. CXCI.

*Concilium Salisburgense.*

Sub idem tempus Eberhardus Salisburgi Labbe Conc.  
to. 12. p. 380.  
in Germania Archiepiscopus, in sua  
Metropoli celebravit Synodum, eo fine,  
ut durante schismate pene collapsam mo-  
rum disciplinam restitueret. Omnia er-  
go statuta, quæ antehac Guido, & Joan-  
nes Cardinales ac Sedis Apostolicæ Le-  
gati, necnon Fridericus Conradus, & Pil-  
grinus Eberhardi Antecessores condide-  
rant, denuo confirmata fuere. Præterea  
in hac Synodo triginta quatuor articuli  
promulgabantur, quorum primo tanquam  
erronea damnatur illorum opinio, qui do-  
cent: *Quod Presbyter seu Sacerdos cura-*  
*tus*



Sæcul. XV. A. C. 1420. *tus in peccato mortali existens non possit  
conficere corpus Christi vel absolvere, eadem  
damnatione rejicitur eorum error, qui  
asserunt, Episcopum vel Sacerdotem cura-  
tum tali peccato gravatum non posse absol-  
vere Presbyteros fornicarios a fornicationis  
reatu. II. Decernitur, Synodos Provin-  
ciales & Diœcesanas celebrandas esse, prout  
antiquis Canonum Decretis ordinatum. III.  
Consuetudines, quæ gravamen Ecclesiis in-  
ducere dignoscuntur, invalidas esse cen-  
sendas. IV. Nullum ad S. Ordines admit-  
tendum, nisi recenter confessus fuerit omnia  
sua delicta idoneo Sacerdoti. V. & VI.  
Omnes illegitime natos ab Ordinibus susci-  
piendis arcendos. VII. Prohibetur, ne Ju-  
dices inferiores ad superiores appellent (\*).  
VIII. Præcipitur, ut Ecclesiarum Rectores  
suis Vicariis sufficientem & honestam por-  
tionem assignent. IX. Nec sine gravi caus-  
sa aut præter justitiam sententia interdicti  
feratur. X. Explicantur obligationes  
Prælatorum in suis visitationibus. XI.  
Capellani in capellis privatorum cele-  
brare*

---

(\*) Continuator manifeste halucinatus est,  
nam Canon iste VII. prohibet omnibus superio-  
ribus iudicibus, ne subditis suis litigantibus  
coram eis impedimentum præstent, quominus  
causas suas appellationum ad examen supe-  
riorum libere deferre possint.



brare prohibentur, nisi antea Archiepiscopo *Sæcul. XV.*  
 loci obedientiam fecerint manualem. XII. *A.C. 1420.*

Statuitur, eos, qui absolutionem a cen-  
 furis per vim extorquerent, ejus fructu  
 privandos. Nec deinceps excusa-  
 tos haberi, qui ob rerum amissionem, me-  
 tum corporis, aut subditi inobedientiam, man-  
 datum Prælati exequi detrectarent. XIII.  
 Minus ullum metum excusare in illis præ-  
 ceptis, quæ in non faciendo consisterent. XIV.  
 Decernitur, cessiones actionum in præsentia  
 Episcoporum seu Officialium suorum esse fa-  
 ciendas, ac a cedentibus jurandum, quod  
 vere cederent. XV. Præscribitur, qualiter  
 citandi sint illi, quos Parochi ob poten-  
 tiam eorum citare non auderent. XVI.  
 Innovantur Canones de modestia in ha-  
 bitu Clericorum, & statuitur, ut Religiosi  
 Episcopi suæ Religionis habitum aperte de-  
 ferant. XVII. Declaratur, Clericos ad  
 fora sæcularia non esse trahendos. XVIII.  
 Concubinarios vero beneficiis suis priva-  
 tos & ad quæcunque assequenda inhabi-  
 les esse. XIX. Nullum Clericum ad cu-  
 ram animarum admittendum, nisi prius  
 coram Episcopo juraverit, quod nullam  
 in adeptione sui beneficii commiserit si-  
 moniam. XX. A Patronis & beneficio-  
 rum collatoribus nullam decimarum &c.  
 partem sibi esse retinendam, sub quocun-  
 que obtentu. XXI. Excommunicatos  
 esse, qui ablatum infra mensem non re-  
*Hist. Eccles. Tom. XXVI. G g resti-*



Sæcul. XV.  
A.C. 1420.

restitueret, XXII. si quis prædium suum, cui jus competit Patronatus, cuiquam obligaverit indistincte, ipsum jus obligasse non ceneri. XXIII. Clericis concedendam esse testandi libertatem. XXIV. A Sacerdotibus pro Archiepiscopo defuncto in omnibus Episcopatibus sibi subditis, & pro Episcopo in omnibus Diocesis suæ Parochiis unam Missam esse celebrandam. XXV. Sacramenta alieno Parochiano a Sacerdotibus non esse administranda, saltem non obtenta proprii sui Parochi licentia. XXVI. Spoliandos esse jure Patronatus illos, qui Ecclesias, Rectoribus eorum defunctis, rebus mobilibus vel imobilibus vel dote exspoliarent. XXVII. Convivia a Sacerdotibus, qui primam Missam celebrant, non instituenda. XXVIII. Parochianos a suis Parochis formam Baptismi edocendos esse. XXIX. Indebitas Ecclesiarum exactiones omnino vitandas. XXX. In Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis ter in anno publice promulgandam esse Constitutionem Concilii Constantiensis de Simonia. XXXI. Anathemati subjiciendos, qui tempore interdicti mortuos in Cæmeterio sepeliverint. XXXII. Impugnantur Hussitæ. XXXIII. Jubentur Judæi pileum cornutum, sceminæ autem Hebræorum nolam sonantem deferre, ut a Christianis discernantur. XXXIV. Præcipitur, luxum



xum & illicitum mulierum cultum esse reprimendum.

Sæcul. XV.  
A.C.1420.

§. CXCII.

*Statuta & Ordinationes ejusdem Synodi.*

In actis ejusdem Concilii post præfatos articulos reperiuntur plura statuta, quæ disciplinam respiciunt. Igitur I. statuuntur poenæ contra concubinarios notorios. II. Prohibetur Clericis, ne secum mulieres juvenes, ac de incontinentia suspectas habeant. III. Ne in domibus suis tabernas teneant, aut laicorum convivias accedant. IV. Ne venationem exercent, aut taxillorum lusum. V. Præscribitur, quales Presbyteros debeant sibi assumere Plebani, in adjutorium curæ animarum. VI. Obligandos esse ad Provincialium & Synodalium constitutionum observantiam, & ad deferendos habitus modestos a laicorum vestibus distinctos. VII. Sacramenta sine conventionem vel pactione gratis esse ministranda. VIII. Publice delinquentes non esse tolerandos, nec Prælati potestate absolvendi a casibus reservatis abutantur. IX. Pro sepultura nihil extorquendum. X. Statuitur, qualiter adulteri, & concubinarij publici sint admonendi, & ab ingressu Ecclesiæ arcendi. XI. Qualiter se gere

Labbe Conc.  
Gen.  
to. 12. ibid.



Secul. XV rere debeant Plebani erga eos, qui ad  
A.C. 1420. auctoritatem superiorem remissi sunt.

XII. Matrimonia clandestina prohibentur.  
 XIII. Præcipitur, Matrimonia in Eccle-  
 siis coram Presbytero esse contrahenda,  
 & ante Benedictionem nuptialem con-  
 summare prohibentur, XIV. Paternos  
 Baptismales non esse multiplicandos sta-  
 tuitur. XV. Jubetur, ut Presbyter po-  
 pulum doceat, qualiter contrahatur affi-  
 nitas spiritualis ex Baptismo & confir-  
 matione. XVI. Forma juramenti præ-  
 scribitur, quod præstare tenentur testes  
 synodales in manibus Archi-Diacono-  
 rum. XVII. Statuta synodalia bis in an-  
 no prælegantur populo. XVIII. Sequen-  
 tes quinque articuli perstringunt usura-  
 rios, atque eorum poenæ præscribuntur.  
 XXIV. Agitur contra viarum grassatores,  
 XXV. Et illos, qui scienter furto ablata  
 coemunt. XXVI. De decimis persolven-  
 dis, & de poenis eas usurpantium. XXVII.  
 De his, qui nova exigunt pedagia.  
 XXVIII. Declaratur, etiam in lecto ægri-  
 tudinis testamentum condi posse. XXIX.  
 Foeminis illicite vestitis Communionem  
 esse negandam. XXX. Innovantur poe-  
 næ contra eos, qui tempore interdicti in  
 cæmeteriis mortuos sepeliunt. XXXI.  
 Decernitur contra eos, qui occidunt, ver-  
 berant, & violentas manus in Clericos  
 injiciunt, XXXII, XXXIII, & XXXIV.  
 De



De eadem disponunt materia, & statuunt **Sæcul. XV.**  
 poenam in eos, qui percutiunt Legato- **A. C. 1420.**  
 rum, vel alicujus Judicis nuntios literas  
 judiciales deferentes. Idem quoque de-  
 cernitur XXXVI. & XXXVII. Constitu-  
 tione. Tres sequentes puniunt eos, qui  
 bona decedentium Clericorum occupare  
 præsumunt. XLI. Agitur de his, qui  
 imponunt tributa capitaria, & alias exa-  
 ctiones Ecclesiasticis. XLII. Idem statui-  
 tur. XLIII, XLIV, & XLV. Contra u-  
 surpatores bonorum Ecclesiæ, XLVI.  
 Contra eos, qui ad vacantes Ecclesias  
 mittunt armatos, & faciunt ibi expensas.  
 XLVII. Contra Laicos recipientes & oc-  
 cupantes beneficia Ecclesiastica. XLVIII.  
 De Advocatis Ecclesiarum ultra debitum  
 exigentibus tractatur. XLIX. De eo-  
 dem. L. Contra Ecclesiarum Patronos,  
 qui Superiores impediunt in collatione.  
 LI. Contra Patronos partem decimarum  
 sibi retinentes. LII. De eodem. LIII.  
 Contra Laicos, qui sine consensu Præla-  
 torum bona fabricæ Ecclesiasticæ admi-  
 nistrant. LIV. Contra eos, qui Eccle-  
 sias in castella, & arces convertunt, &  
 milites in eis locant. LV. Contra illos,  
 qui recursum ad Judices Ecclesiasticos  
 impediunt, aut statuta condunt contra  
 Ecclesiasticam libertatem. LVI, LVII,  
 & LVIII. Contra eos, qui Clericos ad sæ-  
 culares Judices trahunt. LIX. Prohi-  
 betur.



Sæcul. XV. betur, ne ad prædicandum admittantur  
 A.C. 1420. de Hussitarum hæresi suspecti, sed superioribus denuntientur.

## §. CXCIII.

*Bononia a Pontifice recuperata.*

*Platin. in  
 Mart. V.*

In Italia Joanne XXIII. Bononia egresso, cives antehac seditione mota summorum Pontificum imperium excutiebant, nec ullo Pacto ad officium redigi poterant. Hoc autem anno Bentivolii auctoritas apud populares suos tantum valebat, ut ejus hortatu ad Martini V. fidem reverterentur. Ceterum Florentini longioris, quam ibi Papa fecerat, moræ pertæsi, persæpe famosos libellos divulgabant, puerique publice cantabant: *Papa Martino non val un quadrino id est, totum Martini meritum, nec unum valet obulum.* Qua de re Pontifex haud parum indignabatur, existimans, sese ab ipsis quoque civibus contemptui haberi, atque pueros ab eorum Parentibus ejusmodi cantilenas didicisse. Verum Leonardus Aretinus Martini, cui a secretis erat, animum mitigavit, in memoriam revocans, quantis honoribus Florentini eum hucusque persecuti fuissent, ac summam, qua Pontificis dignitatem colerent, reverentiam satis testatam fecissent; præterea illum monuit, ne prosperitatum obli-



oblivisceretur, quæ, quamdiu in hac ur- Sæcul. XV.  
 be mansisset, percepisset. A. C. 1420.

## §. CXCIV.

*Papa Episcopatum Florentinum ad  
 Archiepiscopatum elevat; Romam ve-  
 nit, ejus ingressus in urbem.*

Nihilominus Florentia Romam petere  
 decernit, ut tamen pro tot obsequiis,  
 quibus eum Florentini cumulassent, gra-  
 tum exhiberet animum, Ecclesiam hujus  
 Urbis Cathedralem ex Episcopali ad Me-  
 tropolitanam evexit, eique Volateranum,  
 Pistoriensem ac Fesulanum Episcopos  
 suffraganeos dedit. Tandem assiduis Ro-  
 manorum votis obsecuturus, Florentia  
 abiit, & Romam die vigesima secunda  
 Septembris hujus anni ingressus est, ci-  
 vium jubilis, & festivis populi acclama-  
 tionibus salutatus. Tam incredibilis e-  
 rat Romanorum lætitia, ut ad perpetuam Antonin.  
 tit. 22. c. 7. §. 2  
 rei memoriam ingressus hujus diem fa-  
 ctis inscriberent. Ceterum Martinus Ur-  
 bem reperit incolis orbatam, & vix non  
 ruderibus suis, atque ruinis sepultam; Ec-  
 clesiarum, atque ædium luctuosa erat fa-  
 cies, plateæ desertæ, ac in solitudinem  
 veluti redactæ, novissimis factionum tu-  
 multibus eas potissimum infestas reddentibus.  
 Tanto autem studio, ac sollicitu-  
 dine



Sæcul. XV. A. C. 1421. dine Martinus urbem restaurare, incolas ad cultiores reducere mores, atque ædificia pene collapsa reparare cæpit, ut brevi pristina sua illi redierit Majestas, imo novo ac majori, quam antehac celebrata fuerit splendore.

## §. CXCIV.

*Zischa altero etiam oculo orbatus.*

*Cochl. Hist. Hussit.* Hoc anno Zischa Rabium, ignobile quoddam Bohemorum oppidum, cingens, accepto vulnere oculorum lumen penitus amisit; cum enim hujus urbis ambitum emetiretur, exploraturus, qua parte illam cum minori suorum dispendio expugnaret, die decima quinta Martii alterum etiam oculum, quo solo adhuc utebatur, sagitta quædam temere emissa excussit, caputque tam alte penetravit, ut semianimis in terram corruens, in tentorium deportaretur, inde vero mortis periculo indies crescente, Pragam deferretur; cum tamen corpore admodum robustus, ac ferme aeneus esset, intra trimestre convaluit, & supremum, licet cæcus, rei militaris imperium denuo suscepit, Hussitarum precibus victus, qui potius signa deserere, quam alium Ducem sequi constituerant.

## §. CXCVI.



## §. CXCVI.

Sæcul. XV.  
A.C. 1421.Comitia Norimbergensia adversus  
Hussitas.

Imperator secundis Hussitarum progressibus conterritus, Norimbergam Imperii Ordines convocat; & periculum omnibus Germaniæ Principibus ob Zischæ suorumque potentiam proxime imminens exponit, unicum vero, aiebat, salutis medium superesse, si junctis viribus prompte suppetias ferrent, ac rebellium audaciam reprimerent, ne malo per longas moras invalescenti fero nimis medicina pararetur, addebat, Zischam in id intentum esse, ut in Bohemia Regimen quasi Anarchicum introduceret; solemne enim ei esse Principium, quod quilibet Princeps in peccato mortali existens juribus suis excideret; jamque a seditiosis istis hunc errorem ut solidissimam sectæ suæ legem passim adoptari, ac fidissimos quosque ad rebellionem concitari, eorumque partes usque adeo augeri, ut impune quævis audere præsumerent, nisi ad promptum horum excidium manus ad-moverentur. Nec optato caruit exitu Sigismundi adhortatio. Fidem enim dant Imperii Ordines, se copias conscrip-turos, atque ex Occidentali plaga ir-ruptio-



Sæcul. XV. A.C. 1421. ruptionem in Bohemiam tentaturos; interea vero Cæsar valido Austriacorum, atque Hungarorum milite Orientale latus penetraret. Ergo cuncti Principes, atque Electores, Trevirensi excepto, utpote quem infirmitas lecto affixerat, ad militiam sese accingunt, & Mense Augusto in Occidentales Bohemorum fines infestis armis irrumpunt. Imperatoris tamen, utpote præpediti, expeditio tardius processit.

## §. CXCVII.

*Sozium a Cæsareis obsessum; soluta obsidio.*

*Cochl. Hist. Hussit. l. ib. 5.* **Z**ischa intra Taborensis oppidi munita quietus substitit, haud abs reveritus, ne sibi, si numerosum adeo Germanorum Principum exercitum incautius aggredereetur, certa suorum clades immineret; unde stupebant Germani, quod Zischam in acie nullibi viderent; id autem eo consilio ab illo factum, ut Catholicorum copias obsidionum laboribus frangeret, spe fretus, cum omnes arces munitissimæ juxta ac instructissimæ essent, fore, ut longior oppugnationum mora, tardior stipendiorum solutio facile militum animos, & numerum diminueret, atque ad deserenda signa compelleret. Nec spem sefellit exitus: Imperiales



riales enim copiae Sozium, locum valde Sæcul. XV.  
 munitum, omnibusque abunde provisum A.C.1421.  
 obsident, validoque impetu oppugnant,  
 sed postquam cives obsidione jamjam se-  
 ptimam in hebdomadam excurrente vi-  
 ginti sex Germanorum impetus invicto  
 robore retudissent, Catholici annonæ pe-  
 nuria pressi die decima sexta Octobris ob-  
 sidionem solvere coguntur. Imperator  
 vero, quamvis Mense Augusto in Bohe-  
 miam se venturum spondisset, primum  
 sub finem Decembris comparuit, eo quod  
 Hungaros atque Austriacos invites edu-  
 cere desperans, multum temporis impen-  
 deret, donec utriusque Nationis Proce-  
 res, qui copias ducerent, ad suas par-  
 tes pertrahere posset.

## §. CXCVIII.

*Hussitarum conventus ad vindicanda  
 eorum gesta coactus.*

Sub idem tempus Imperator, cum non Dubrav. lib.  
 sine gravi animi sui mærore perpen- 24. in fin.  
 deret mala, quæ & justissima quævis bel- Cochl. Hist.  
 la insequuntur, Hussitas adhortatus est, Hussit. lib.5.  
 ut humano sanguini parcentes, saltem  
 diuturnas, easque firmas inirent armo-  
 rum inducias. Verum rebelles quascun-  
 que pacis conditiones aspernabantur, nisi  
 ante omnia ipsis quatuor Religionis ca-  
 pita concederentur, nimirum: I. *Verbum*  
*Dei*



Sæcul. XV. A.C. 1421. *Dei per totam Bohemiam libere absque cuiuscunque interpellatione a Sacerdotibus annuncietur. II. Libere Eucharistia sub utraque specie omnibus Christi fidelibus peccato mortali haud obnoxiiis, ministretur. III. A Clero bonorum externorum possessio, & in iis iurisdictio auferatur, & ordo illorum ad vitam Evangelicam & Apostolicam redigatur. IV. Omnia peccata mortalia, ac præcipue publica, & alia legi Dei contraria vitia in quovis statu, rite, & cum ratione per eos, ad quos pertinent, corrigantur, & prohibeantur. Porrecti sunt articuli Sigismundo, quibus perlectis, adstantibus dixit: Latet anguis in herba, plena veneno insanabili, nos fallere volunt perfidorum animi sub vulpe latentes. Quocirca eos acceptare dedignatus est.*

Paucis ex post diebus Hussitæ, nomine Conradi Pragensis Archiepiscopi, fautoris sui, necnon nomine Baronum, urbium, & Bohemiæ familiarum literas perscribunt ad quosdam Principes, ut obiecta hæresis ac perduellionis crimina diluerent. Binæ ejusmodi exstant Epistolæ die sexta Julii datæ, in quibus acerbè in Sigismundum invehuntur, eidemque supplicium Joannis Hussi, indictam a se sacram militiam & plura alia ejusmodi conficta objiciunt. Præterea Cæsarem criminantur velut omnium Bohemiæ calamitatum auctorem, se vero non nisi



nisi pro defensione fidei, suorum bonorum ac vitæ arma sumpſiſſe, demum hortantur omnes, ut in eandem cum illis opinionem abirent, adjectis etiam minis adversus eos, qui præfatis quatuor Articulis refragari auſi fuerint.

## §. CXCIX.

*Hujus conventus Articuli.*

Præter istas literas, insuper die septima Julii ejusdem anni celebre cogebant conciliabulum, quod ipsi sacram Synodum appellitant. Cõdiderunt in eo viginti duos articulos, qui eorum completuntur errores de Sacramento Eucharistiæ, Ceremoniis Missæ, & Clericorum reformatione, docentque, nullam civilem seu profanam legem locum habere. In hisce articulis confessionem auricularem non rejiciunt, imo alios nonnullos proferrunt, qui doctrinæ & usui Ecclesiæ haud absõni esse videntur, alios vero terminis ambiguis, atque obscuris ita involvunt, ut inde ingentes inter eos natæ fuerint diffensiones.

## §. CC.

*Anglorum exercitus a Delphino profligatus.*

Interea Henricus V. Angliæ Rex, postquam anno priore ad finem vergente ad

Sæcul. XV.  
A.C. 1421.

Cochl. ibid.

Juv. Urſin.  
Hist. Car. VI



Sæcul. XV. ad Insulam suam rediisset, nova militum  
 A.C. 1421. ac pecuniarum subsidia collecturus, in  
 Gallis vices suas gerentem reliquit Cla-  
 rentiæ Ducem fratrem suum. Delphini  
 vero partibus favebant, easque strenue  
 tuebantur Andegavenses, Turonii, Picta-  
 vienses, Arverni, Bituricenses, Delphina-  
 tus, atque Occidania. Harum Provin-  
 ciarum auxilio Delphinus jus suum in  
 Gallia Regnum vindicare aggrediebatur.  
 Eidem quoque Scotiæ Rex ductore Co-  
 mite de Bouchaim seu Bukan submitit  
 tria aut ferme quatuor armatorum mil-  
 lia, omnes selectioris militiæ viros. Er-  
 go Galli Scotis conjuncti castra movent,  
 atque adversus Clarentiæ Ducem, qui  
 cum decem millibus Belgium Andega-  
 viae urbem obsidere meditabatur, arma  
 vertunt, manus conferunt, & Anglorum  
 exercitum fundunt, ipsumque eorum Du-  
 cem unacum duobus suorum millibus, &  
 amplius trucidant, reliqua exercitus par-  
 te per agrum Cenomanensem in Norman-  
 niam fugere compulsa. Parta est hæc  
 victoria in vigilia Paschatis, & Comes de  
 Buckan, qui summa virtute rem gessit, in  
 fortitudinis suæ præmium Connestabilis  
 gladio per Delphinum condecoratus est.  
 Prospero hoc eventu penes Gallos victo-  
 riæ summa stetit, & Delphinus in Per-  
 chienti, & Carnutensi districtu quædam  
 etiam loca recuperavit.

Baugé

§. CCI.



## §. CCI.

Sæcul. XV.  
A.C.1421.*Rex Angliæ Lutetiam redux.*

**H**enicus Rex comperta Anglorum clade in Gallias remeare compellebatur, *Polyd. l. 22. Et seq.*  
 novo, ingentique militum supplemento illatum reparaturus damnum, simulque fratris sui mortem ulturus. Nulli ergo parcebat industriæ, ut Delphino occurreret, eoque consilio haud longe a Carnuto, atque Castelloduno exercitum duxit, tandemque ad Aureliæ suburbia refedit, Delphinum, frustra tamen præstolaturus. Dum autem violento alvi fluxu plusquam tria suorum millia periissent, vim suam non nisi in Drocensem exerit urbem, & Reginam conjugem suam tum gravidam, ut foetum eniteretur, Angliam repetere jubet.

## §. CCII.

*Monita cujusdam Eremiticæ ad Regem Angliæ.*

**R**egem in obsidione Drocensi occupatum *Walsing. in Henr. V.*  
 Eremita quidam ignotus accessit, immanissima exprobrans damna, quæ Religioni inferret, injusta sua stimulatus ambitione, quæ eum ad Galliæ Regnum contra jus fasque, ac Dei voluntatem usurpandum induxisset. Insuper proxime imminentem, eamque severam comminabatur



Sæcul. XV. nabatur poenam, nisi a proposito desiste-  
 A.C. 1421. ret. Henricus monitum istud ex emota  
 Viri mente, vel potius ex suggestione  
 Fautorum Delphini oriri existimans, illud  
 velut fabulam explofit. Attamen paucis  
 ex post mensibus obeunte Rege vaticinii  
 veritas comprobata est.

## §. CCIII.

*Inducie inter Arragoniæ Regem, &  
 Ludovicum Andegavensem.*

Legati Cardinales, quos Martinus V.  
 ad Alphonsum Regem in Arragoniam  
 ablegaverat, eum ad inducias ea lege in-  
 eundas inducebant, ut Ludovicus Ande-  
 gavenfis omnia loca a se occupata, ex-  
 cepta Aquila, Pontifici restitueret, donec  
 de firma pace utrinque ageretur. Quare  
 Ludovicus Romam ad Martinum profe-  
 ctus est, Alphonsus vero Neapolin con-  
 tendit, qui simul ac eo pervenisset, ut  
 Pontifici timorem incuteret, eumque in  
 suam sententiam raperet, more suo anti-  
 quam illam timoris larvam objecit, nimi-  
 rum aperte comminando, se Petri de Lu-  
 na obsequio omnes suos subditos subje-  
 cturum. Enimvero Petrus, Alphonso  
 connivente, jamjam in Arragonia tan-  
 quam Papa colebatur, ipsumque Constan-  
 tiense Concilium ibidem publice in invi-  
 diam trahebatur.

## §. CCIV



## §. CCIV.

Sæcul. XV.  
A C. 1421.*Urbes ab Andegavensi occupatæ Alphonso a Pontifice restitutæ.*

Quam ob rem summus Pontifex nuperam executurus transactionem, consentiente Andegavensi Duce, omnia loca ejus fidei in depositum concredita, ac Alphonso sublata, quantocius restituit. Unde Sfortia intelligens, potissima omnium studia in Joannam, & Alphonsum conversa, haud ultra assiduis, iisque vehementibus, quæ nomine Neapolis Reginae interponebantur, precibus refragaturus, & ipse Reginae acquievit, ejusque studia profecutus est.

## §. CCV.

*Alphonfus a Papa Neapolis Rex agnosci postulans.*

Alphonfus, ubi animadvertit, tam pro-  
spere sibi cessisse minas, quibus, si Pe-  
tro de Luna obedientiam restitueret, Pa-  
pam territum fuisse existimabat, crescen-  
te audacia, crebrisque suis comminatio-  
nibus Martinum iterum iterumque com-  
pelli aggressus est, ut se Neapolis Re-  
gem agnosceret. Tum demum Pontifex  
Alphonsum sua patientia, nimiaque fa-  
cilitate abuti, atque eum æquitatis limi-  
tes transgredi intellexit, acriusque in

*Platin. in  
Mart. V.**Hist. Eccles. Tom. XXVI.*

H h illum



Sæcul. XV. illum agere statuit; unde ei significari jus-  
A.C. 1421. fit, se nunquam, ut illi complaceret,  
 tantæ patrocinatorum injustitiæ, Joan-  
 nam quidem eum adoptasse, non vero Re-  
 gnum deferre potuisse, quod Ludovico,  
 paterno jure, competeret, & cujus jus  
 Alexander V. ac ipse etiam Joannes XXIII.  
 confirmasset.

## §. CCVI.

*Alphonsus ut Rex a Papa non  
 agnitus.*

Subjungit Pontifex, nihil esse in Ludovi-  
 co, quo a Sedis Apostolicæ benevo-  
 lentia excludi promereretur, nec ideo  
 gratiam illi concessam revocandam esse,  
 minus vero regnum Principi, qui suorum  
 Majorum exemplo Ecclesiæ defensor ex-  
 stitit, ea duntaxat ratione auferendum,  
 ut ejusdem Ecclesiæ persecutori conce-  
 deretur. Alphonsus hoc responso exa-  
 cerbatus, haud dissimulanter se Pontifi-  
 cis hostem, & Petri de Luna fautorem  
 professus est, omnemque navavit operam,  
 ut hic non modo in Arragonia, sed e-  
 tiam in universo Neapolis regno tanquam  
 legitimus agnosceretur Pontifex; nec ta-  
 men integre spe sua potitus est.

## §. CCVII.



## §. CCVII.

Sæcul. XV.  
A.C.1421.*Bohemiæ Regnum ab Hussitis Poloniæ  
Regi oblatum.*

Hussitæ Sigismundum e folio deturba- *Cromer. lib.*  
turi, Bohemiæ regnum Ladislao Po- 18. & 19.  
lonorum Regi offerunt, utpote tunc in Im-  
peratorem male affecto, eoquod Equi-  
tibus Teutonicis adversus Polonos favis-  
set. Zischa suos nequicquam hortaba-  
tur, in quemcunque demum regiam  
coronam deferrent, semper propriæ obfu-  
turos se libertati, si tamen jugum ferre o-  
mnino exposcerent, unicum superesse, ut  
saltem non alium, quam purioris Evan-  
gelii veritatibus imbutum (ita nempe  
Hussitarum doctrinam compellabat) Re-  
gem sibi constituerent. Sed surdis fabu-  
lam Zischa canebat; nam Proceres Bo-  
hemi, quamvis Hussitæ Catholicos nu-  
mero superarent, suos ablegabant, qui  
Ladislao Bohemiæ sceptrum offerrent,  
ut Sigismundum folio ejicerent.

## §. CCVIII.

*Repulsa a Ladislao Hussitis data.*

Verum respondit Rex, se quidem haud *Neugeban.*  
levia a Sigismundo perpeffum, nolle *hist. er. Pol.*  
tamen se in re tanti momenti quicquam, *concin. l. 5.*  
inconsulto Witholdo amitino suo, decer- *p. 263. &c.*  
nere. Ergo nonnulli ex hisce Pseudo-



Sæcul. XV.  
A.C. 1421.

Legatis in Lithuaniam ad Ducem proficiscuntur, quibus tamen post iteratas eorum preces, nomine utriusque Principis, in responsis datum, quamvis neutri æqua de Sigismundo conquerendi causa deesset, sibi tamen animum non esse, fraudum subsidio juribus, rebusque suis consulere; scire se, Bohemiæ regnum hæreditario nomine Cæsaris esse, de cetero velle se lubenter eos tam cum illo, quam cum Papa reconciliare; si vero cum Imperatoris consensu alium Regem postularent, nec Ladislaum, nec Witholdum regni coronam aspernaturum, dummodo ipsi ad veram Ecclesiæ Catholicæ fidem redirent, & Pontificis consensus accederet.

## §. CCIX.

*Bohemice Regnum oblatum & a magno Lithuanice Duce acceptatum.*

*Cromer. l. 28.  
& 29.*

Post hæc Ladislaus Sigismundum de oblato sibi diademate certiolem facit, enixe petens, ut cum Bohemis pacem componeret, eosque sincero studio in obsequium Ecclesiæ reduceret, secus enim, se eos in clientelam suam recepturum. Sigismundus laudato Regis zelo, neglectoque proprio commodo se, quantum in viribus esset, partibus suis minime defuturum spondit. Verum auctis indies obsta-



obstaculis, & Witholdo iteratis precibus Sæcul. XV.  
 pulsato, hic coronam Bohemiæ se acce- A C. 1421.  
 ptaturum promisit; cum autem eo tem-  
 pore Moscovitarum bello implicaretur, i-  
 psus Bohemiam accedere prohibebatur,  
 & referunt Scriptorum nonnulli, Withol-  
 dum recens erectum hoc regnum judi-  
 casse indignum, ut illius possessionem per-  
 semetipsum caperet. Quæ utcunque  
 sint, misit tamen selectioris militiæ co-  
 pias, ductore Sigismundo Coributo Pa-  
 truele suo. Hic Princeps, fausto foedere  
 Majestatis severitatem cum suavitate mo-  
 rum associans, non minus sui amorem in-  
 stillare, quam metum ingerere nove-  
 rat, ac ideo regnum civili bello tanto  
 tempore desolatum trium mensium spa-  
 tio pacatum reddiderat. Postmodum  
 Witholdum in Bohemiæ solio firmaturus,  
 non modo Catholicos, sed & Hussitas  
 induxit, ut junctis viribus ei in expugna-  
 do Carolosteinio oppitularentur. Arx  
 erat totius Bohemiæ natura & arte lon-  
 ge munitissima, ac Cæsareo instructa  
 præsidio. Obsessi sexto jam Mense adeo  
 invicta virtute oppugnantium impetus su-  
 stinebant, ut Coributus obsidionem sol-  
 vere compelleretur, Electori Brande-  
 burgico occursum, qui adversus Bohe-  
 mos recentem militiam educebat, & pa-  
 gos, aliaque loca in itinere obvia, ac re-  
 sistendo imparia ferro flammaque deva-  
 stabat.



Sæcul. XV  
A.C. 1422. stabat. Elector vero jam contentus, quod Lithuanum ad interrumpendam obsidionem compulisset, pedem retulit, quo recedente Coributus denuo arcem obsidere decrevit; Ast a Witholdo ad preces Poloniæ Regis, qui occasione homagii Pruffici cum Cæsare in gratiam rediit, revocatus est. Quare Hussitarum copię ultra dimidiam partem attenuatæ, haud amplius obsidionem profequi poterant.

## §. CCX.

*Witholdus a Bohemorum clientela per  
Papæ literas absterritus.*

*Cochl. hist.*  
*Hussit. l. 5.*

Displicuit summo Pontifici, Witholdum Ducem Bohemis suppetias tulisse; quapropter die vigesima prima Maji ad eum literas dedit, adhortatus, ut illorum defensione omissa potius illos ad id induceret, ut Sedis Apostolicæ Legati hac ex causa in Germaniam missi consiliis obtemperarent. Hanc legationem obiit Cardinalis Placentinus, nomine Branda de Castellione, patria Mediolanensis. Historici in hoc Viro ardentissimum tuendæ Religionis studium summis laudibus commendant, quo etiam Presbyterum quemdam, natione Hungarum, ab eo ad finem Ecclesiæ reductum referunt; Hic utrumque Testamentum, Sacramenta, cunctasque Ecclesiæ Ceremonias re-  
proba-



probabat, licet interdum, ne hæresis con-  
 vinceretur, sacris operatus esset, atque  
 abjecta omni Religione quascunque se-  
 ctas ludibrio habebat, id solum fidei ca-  
 put existimans, quod solo naturæ lu-  
 mine comprobari posset, adeo erroris sui  
 tenax, ut nequidem suppliciorum metu  
 ad saniora reduci posse crederetur. Hunc  
 Legatus solidis adeo confutabat argu-  
 mentis, ut in se reversus, ac de humani  
 intellectus imbecillitate convictus, er-  
 rores suos publice detestaretur, quos ut  
 seria expiaret poenitentia, Ordinem Fra-  
 trum S. Pauli Eremitæ, tum in Hungaria  
 percelebrem, ingrediebatur.

## §. CCXI.

*Ordinis Franciscanorum Præpositus  
Constantinopolim missus.*

Cum Cardinalis Legatus in Orientem  
 missus morbo in itinere correptus,  
 tardius Constantinopolim pervenisset;  
 Antonius Massanus, Ordinis Fratrum S.  
 Francisci Minister Generalis, cum prior  
 discessisset, summo honore, plurimisque in  
 S. Sedem reverentiæ, ac obsequii signis  
 ab Emanuele exceptus est. Cum vero  
 sub idem tempus Imperator in gravem  
 morbum Paralyfi non absimilem incidis-  
 set, ejusque violentia e vivis ereptus  
 esset, Massanus nonnisi cum Joanne

H h 4

Palæo-



Sæcul. XV.  
A.C. 1422.

Palæologo, & Josepho Patriarcha negotia sibi commissa pertractare poterat. Die decima sexta Septembris in Ecclesia S. Stephani publice auditus est Massanus, & postquam pluribus mala per funestum hoc schisma Græcorum imperio illata exposuisset; simulque ingens desiderium, quo Pontifex illius extinctionem per sanctam ac stabilem utriusque Ecclesiæ unionem exoptaret, hunc in modum peroravit.

§. CCXII.

*Synopsis Orationis, a Massano coram Imperatore Græcorum dictæ.*

Quoniam Domino & sanctissimo Papa Martino V. dixistis voluntatem esse Patriarchæ Constantinopolitani & Imperatorum procurare, ac curare sine fraude, & dolo sanctissimam unionem Ecclesiæ Græcorum cum Ecclesia latina. . . . ideo Dominus noster merito ut bonus Pastor requirit, invitat vos justum ad promissum servandum. . . . propter quæ sanctissimus Dominus noster Papa illico Florentiæ creavit Legatum ex latere, pro Concilio Constantinopoli fiendo; sine enim Concilio visum fuit Græcorum & Latinorum præfatam unionem sequi non posse, & ipsis satis erat ad hoc faciendum. Fuit autem prædictus D. Cardinalis gravissima infirmitate in Hispania detentus. . . . Ne autem longum iter diu-  
turna



turna legati mora esset sine fructu, D. N. Sæcul. XV.  
 Papa habito maturo Consilio deliberavit, A.C. 1422.  
 præmittere nuntium suum apostolicum, ut  
 præordinarem congregationem Prælatorum  
 Græcorum. Expediit quidem hoc ad tollendum  
 vetustissimum malum. Hoc sciam, quatenus  
 quo possum clarissime informare D. N. Pa-  
 pam & Legatum, scilicet quo tempore  
 fieri debeat istud Concilium, quo loco, & ex  
 quibus Græcorum Prælati, & ad quem fi-  
 nem Concilium intendit . . . . in certitudine  
 promissi, quæro, si vos intenditis realiter o-  
 perari, quod unio fiat sub fide, quam Sacro-  
 sancta Romana Ecclesia tenet & servat, &  
 obedientiam ad eandem Romanam Ecclesiam;  
 istud idem enim D. Episcopus Theodorus &  
 D. Nicolaus Eudemon Joannes obtulerunt  
 Florentiæ pro parte Reverendissimi Patriar-  
 chæ, & Serenissimi Imperatoris Emanuelis  
 SS. D. N. Papæ & Legato, qui promittit  
 certissime, uti promisit, promptum adjuto-  
 rium Principum gloriosissimorum pro fidei  
 triumpho. Diu Græci, quid responde-  
 rent deliberabant. Tandem vero die de-  
 cima quarta Novembris Massano literas  
 dabant Joannis Palæologi Imperatoris  
 ad Papam, in quibus huic mentem suam  
 sequentibus expressit.



Sæcul. XV.  
A.C. 1422.

§. CCXIII.

*Epistola Imperatoris Græcorum ad  
Papam.*

*Ex parte mea dixit Nicolaus Eudæmon,  
& Episcopus Theodorus, quod volumus  
unionem simpliciter cum Romana Ecclesia,  
sed affirmamus etiam per literas nostras ex-  
presse, quod non solum aliquid tale commisi-  
mus, sed neque omnino unquam ipsum in  
mente dicere habuimus. Sed quod scripsi-  
mus, istud & non aliud nostri Ambasciato-  
res impositum habuerunt implere, & enuclea-  
re propriis sermonibus; videlicet fieri Con-  
cilium universale secundum ordinem, & con-  
suetudinem septem S. universalium Conci-  
liorum, & quod concesserit Spiritus Sanctus  
ad pacem, istud firmare, & tenere. Circa  
sermones autem Magistri Antonii Ambascia-  
toris, de loco quidem respondemus, Constan-  
tinopolim esse, cum Imperium nostrum in præ-  
senti, neque aptiorem locum habeat, neque  
possemus ire alio propter necessitatem . . . .  
Concilii expensas omni præterito tempore  
faciebat Imperium, quod tamen nunc non po-  
test ullo modo, qua de causa sanctitatem ve-  
stram rogamus, ut circa hanc rem providea-  
tur sufficienter; de tempore autem optamus,  
& desideramus, ut taliter essent res, quod ho-  
die hoc divinum opus unionis, & nobis pla-  
citur principium accipiet; sed cum sint circa  
nos*



nos res sub periculo, & gladio & hæc Ci-  
 vitas & omnia nostra, dicimus, quod, Deo Sæcul. XV.  
A.C.1422.  
 dante pacem & firmitatem rebus nostris,  
 statim scribemus vobis. Dicimus & hoc,  
 quod etiam existente guerra infidelium, si san-  
 ctitas vestra fecerit talem pro securitate no-  
 strorum necessariorum locorum, & feceritis  
 excommunicationem insolubilem contra quos-  
 cunque vestros homines, ut non relinquant  
 nos solos in guerra infidelium, & ipsi in pa-  
 ce sint cum ipsis, sed auxilientur nobis con-  
 tra infideles, ita quod ipsi infideles non ha-  
 beant facultatem inferre contra nos armatas  
 naves ipsorum. Sicque hoc unionis ne-  
 gotium ab Emanuele coeptum pro tunc  
 optato caruit successu.

## §. CCXIV.

*Henricus morbo correptus, & Lutetiam  
 cum Regina ingressus.*

Ineunte hoc anno Henricus V. Angliæ  
 Rex incognito prorsus clunium morbo,  
 atque acutissimis ex ventris profluvio do-  
 loribus oppressus, Sylvanecti Medicorum  
 quidem curæ se commisit, nullius tamen  
 ope sanitati pristinæ restitutus. Ni-  
 hilominus, graviter licet affectus, cum  
 conjuge sua, quæ expleto puerperii tem-  
 pore ex Anglia in Gallias rediit, Lute-  
 tiam ingressus est. Postmodum in ipso  
 Pentecostes die celebrem Procerum egit  
 conven-



Sæcul. XV. A.C. 1422. conuentum in Regia, quæ *Lupara* dicitur, ibique ipse, ejusque conjux coronam Regni acceperunt. Hæc dum Parisiis aguntur, Delphinus Conam urbem ad Ligerim sitam obsidet, quæ diu hostium impetus fortiter sustinens, tandem deditioem pacta est, ea tamen lege, nisi intra præfixum temporis spatium opportunæ advenirent suppetiæ; Burgundus re comperta, quotquot potuit, milites coegit, opemque obsessis tulit; Delphinus vero cognito Ducis adventu obsidionem solvit.

## §. CCXV.

*Henrici V. Angliæ Regis obitus.*

*Polyd. Virg. lib. 22.* *Harpfeld. Sæcul. 15. c. 4.* Die, quo Burgundus castra movebat, Rex Angliæ nulla adversæ suæ valetudinis ratione habita, prælii discrimen imminere suspicatus, Conam lectica vehitur; Morbo autem magis ingravescente Meloduni subsistere cogitur, inde cum mali vis nonnihil remitteret, Vincenam defertur, ubi, si Juvenali Ursino fides, die ultima Augusti, vel juxta alios, vigesima octava ejusdem Mensis, fatis functus est, anno ætatis suæ trigesimo sexto, regni autem nono cum dimidio. Corpus ejus comitatu funebri Vincena ad oppidum S. Dionysii perhonorifice delatum, ibidem repositum est, donec in Angliam



Angliam transportaretur, Westmonasterii Regum tumultu inferendum. Henricum Regem magnanimitate, fortitudine, prudentia, ac militaris scientiæ laude præstantissimum fuisse, nemo unus inficiari audet; Ast minor in eo ambitio, & majus pacis studium desiderabatur. Unicum duntaxat post se reliquit unius anni Filium, Henricum nomine, cujus educationem Wintoniensi Cardinali Patruo suo Rex morti proximus commendavit, qui & illum in Anglia optimis moribus instituit. Regni hujus administratio Glocestriæ Duci Regis fratri demanda est, Galliam vero gubernavit Joannes de Bedfordia alter Henrici frater, quem summis precibus obtestabatur, ut Burgundiæ Ducis partes pro viribus tueretur, nec unquam, nisi prius Normannia cum pleno dominio Anglis asserta esset, pacem cum Delphino iniret, nec etiam eos, qui in prælio ad Azincurtium capti fuerant, libertati restitueret, priusquam Henricus ejus filius pubertatis annos attigisset.

## §. CCXVI.

*Caroli VI. Galliarum Regis  
extrema.*

**H**aud diu Anglo vita superstes erat Carolus VI. Francorum Rex, quippe die vigesi-

Sæcul. XV.  
A.C.1422.



*Sæcul. XV.* vigesima Octobris Lutetiæ Parisiorum in  
*A.C. 1422.* suo Palatio S. Pauli, ubi primo lucem aspexit, extremum vitæ diem clausit, nemine assistente præter primarium ejus Cubicularium, Confessarium, & Eleemosynarium. Annum ætatis suæ agebat quinquagesimum secundum, Regni vero quadragesimum secundum, mensem unum, ac quinque dies. Postera mortis suæ die horis pomeridianis Canonici, comitantibus Regiæ Ministris, corpus Defuncti ad Ecclesiam Sancti Pauli detulerunt, & cadavere usque in alteram diem exposito, solemnis Missa dicta fuit, dein per alios novem dies ibi requievit, quibus expletis ad Ecclesiam Cathedralē, inde vero ad fanum S. Dionysii translatum est, in Majorum suorum tumulo consuetis exequiarum solemnibus deponendum. Comitatu funebri nullus Regiæ stirpis Princeps intervenerat, nequidem ipse Burgundiæ Dux, eoquod Bedfordiæ Duci primas cedere recusaret.

Anno MCCCLXXXV. mense Julio Carolus VI. Galliarum Rex nuptias celebravit Ambiani cum Isabella Bavara, ex quo conjugio sex susceperat Filios, quorum tres primos immatura Mors sustulerat, reliqui tres, nimirum Ludovicus, Joannes, & Carolus, omnes subinde Delphini nomen sortiti sunt, & aliquamdiu fama inclaruerunt; solus vero natu minimus



mus ceteris vita functis superstes, Thronum conscendit. Totidem quoque Filias numerabat Carolus, nempe, Isabellam, Joannam, Mariam, & alteram Joannam, Michaelinam, & Catharinam. Primogenita Richardo II. Angliæ Regi juncta, illo decedente Carolo Aureliæ Duci desponsata est. Secunda, in cunabulis morte sublata fuit. Tertia vero mundo nuntium misit, & Deo se dicavit in cœnobio Pisiacensi, quod sexto ab urbe Parisiensi lapide distat. Quarta, nupta est Joanni VI. Britaniæ Duci. Quinta, Philippi uxor fuit, qui Patri ex insidiis Monterigoli interempto in Ducatu Burgundiæ successit. Postrema tandem Henrico V. Anglorum Regi Matrimonio copulata fuit.

Sæcul. XV.

A.C. 1422.

## §. CCXVII.

*Carolus VII. a suis Rex proclamatur.*

Postquam Carolo VI. extremis honoribus, ac funebri obsequio parentatum est, Bedfordiæ Dux, Henricum adhuc infantem, Nepotem suum, Regem salutari jussit. Econtra vero Delphinus, cum de Regis Patris sui obitu ad castrum Epeiaci prope Podium in Velaunis, ubi tum agebat, accepisset nuntium, se quoque postera die sub consuetis solemniis Regem Galliæ proclamari voluit, cunctis

Juven. Urf.  
Hist. Car. VI  
& Chatier.  
Histor.  
Car. VII.

Proce-



Sæcul. XV. Proceribus ipsi adstantibus, ac festive ac-  
 A.C. 1422. clamantibus: *Vivat Rex.*

## §. CCXVIII.

*Mahometis I. Turcarum Imperatoris obitus.*

*Phranz. l. I. c. 39.* **H**oc eodem anno Mahometes I. Turcarum Imperator, postquam, demptis paucis diebus, octavum regni sui annum expleffet, vitæ suæ cursum Adrianopoli emensus est. Is paucis ante obitum diebus ab Emanuele petierat, ut sibi Asiam petenti Constantinopoli transire liceret, hanc enim Metropoli in reditu suo oppugnare decreverat. Ast a proposito suo destitit, victus Emanuelis magnanimitate, utpote qui nec prohibuit trans-euntem, nec redeuntem interceptit, prout tamen commode potuisset. Fatis proximus successorem nominavit Amuratem tunc in Asia degentem, e quatuor Filiis suis, natu maximum, jussitque mortem suam quadraginta diebus usque ad illius adventum silentio premi. Intermedio hoc tempore magna contentione Constantinopoli disceptatum, utrum Amuratis potius, quam Mustaphæ, Bajazetis Filii amicitia expetenda esset. Præplacuit Emanueli primus: non idem sensus erat Joanni Palæologo ejus filio, captus enim erat promisso, vi cujus Mustapha amplam ei



ei juxta ac munitam Thraciæ urbem Cal-  
liopolim pactus erat, quam tamen post-  
modum dare negavit, caussatus, Turcas  
huic cessione acriter obluçtari, eo quod hæc  
urbs in Europæ partibus prima esset, in  
qua Mahometani prima religionis suæ  
fundamenta jecissent.

Sæcul. XV.  
A.C.1422.

## §. CCXIX.

*Amurates Mahometis I. successor.*

Mustapha, postquam omnes, quibus  
Turcæ in Europa potiti sunt, Provincias suo subegisset imperio, reliquas  
quoque occupaturus, in Asiam movit. *Phranz. l. 5. c. 50.*  
Occurrit eidem Amurates, qui Mustapham fuis fugatisque illius copiis, captivum Adrianopoli laqueo suffocari jussit. Bello sic absoluto Amurates Constantinopolim obsidet; cum vero urbs invicto robore resisteret, quarto demum mense re infecta, obsidionem solvere cogitur. Quo factum, ut ad frangendas Amuratis vires alius vocaretur Mustapha frater illius, quem trucidari jussit, natu minimus, qui, quamvis necdum tertium decimum ætatis annum attigisset, jamjam Nicææ urbis in Bithynia domitor exstitit, ast hic ipse Amurati in prædam cessit, & eodem, quo frater suus ætate major, supplicio interemptus est; Hujus morte Amurates solum suum tam in Asia, quam

*Histor. Eccles. Tom. XXVI. I i Eu-*



Sæcul. XV. Europa firmabat, ab eoque tempore Græcorum res semper in deterius ruebant.  
A.C. 1422.

## §. CCXX.

*Fœdus Bedfordiæ & Britannicæ Ducum aliorumque contra Carolum VII.*

*Joannes  
Chartier.  
Histor.  
Caroli VII.*

**Æ**mulorum invidia Carolo VII. recens impositum Regni Diadema jamjam excutere paraverat. Nam Dux Britannicæ ægre ferens, mandati literas in scriniis Dominorum de Pentiveriis inventas fuisse, quibus ipse comprehendi, ac in carcerem trudi jubebatur, circa medium mensem Martium unacum suo fratre Arturo, Comite Richemundo Ambianum se contulit, ubi cum Bedfordiæ & Burgundiæ Ducibus contra Regem Gallicæ foedus pepigit. Firmarunt quatuor hi Principes suum pactum bino connubio, quippe Bedfordiæ Dux Annam, quæ ex sex illis Ducis Burgundiæ sororibus quinta erat, & Arturus Ducis Britannicæ frater Margaritam sororem Burgundi natu maximam, & Ludovici Delphini viduam sibi copulaverant. Post initum foedus omnes junctis viribus Meulanum, Crotoriam, Compendium, & Vafatas in Vasconia vi occupant, denique, ne quid malorum cumulo deesset, regicæ Caroli copiæ apud Crevenum, quam urbem



urbem haud procul ab Antifiodoro sitam Sæcul. XV.  
A.C.1422.  
Saresberienſis Comes obſidebat, profligatæ fuerunt, Buckano Conneſtabili, & Severaco Mareſcallo, qui oppidanis ſubſidio venerant, devictis, ac mille ſelectiſimæ militiæ Viris gladio interemptis, totidemque in captivitatem abſtractis, quos inter ipſe quoque Conneſtabilis, & Ventadori Comes erant. Nihilominus inter tot ſiniſtræ fortunæ caſus unicum Regi ſolamen obvenerat ex primo Filio ſibi die quarta Julii Biturigibus progenero, cui Ludovici nomen dedit.

## §. CCXXI.

*Initia Concilii Papienſis, ſeu Ticinenſis.*

Cum Conſtantiensis Synodus in Sefſione quadrageſima quarta decretum Naucler.  
gener 48.  
p. 448. condidiſſet, ac ipſe quoque Pontifex in eadem Sefſione ex Cardinalium ſententia declarafſet, quod Synodus Papiæ celebranda eſſet; Martinus præſtituto tempore jamjam evoluto illuc ablegavit Oratores, nimirum Petrum Abbatem Roſatium, Aquilejenſis Dioceſis, & Leonardum ſupremum Ordinis FF. Prædicatorum Præpoſitum. Intererant etiam nonnulli Franciæ, Germaniæ, & Angliæ Deputati, datumque eſt Synodo initium in menſe Majo, quamvis Ultramontani



Sæcul. XV. necdum adessent, exceptis duobus Burgundiæ Abbatibus, & Joanne Bastone Carmelita, qui a Clero Anglicano missus fuerat. Itaque duobus propemodum mensibus frustra transactis, Abbas S. Ambrosii Mediolanensis Ducis sui nomine exposuit, luem Papiæ grassari, proin se ex parte Domini sui reliquas omnes ditionis suæ urbes Synodi Patribus offerre, exceptis Mediolano & Brixia. Hujus consilio permoti Patres statuerunt, mutationem loci pro futura Synodo necessariam fore, quibus accessit, quod Alphonsus Rex in nonnullis Sessionibus, quæ jam habitæ erant, caussam Petri de Luna Anti-Papæ per suos Legatos resuscitare cæperit, invidiam creaturus Martino V. qui eidem Neapolitani regni investituram denegaverat.

## §. CCXXII.

*Agitur de Synodi Translatione.*

*Platina in Martino V.* Papa translationem Synodi ratam habuit, quæ & die vigesima secunda Junii decreta est. Difficultatis cardo versabatur circa locum, de quo necdum Patres convenerant. Tandem vero post crebras hac de re disceptationes Andreas Posnaniensis Episcopus suo, ac quatuor Nationis Germanæ Deputatorum nomine loci Electionem Legatis Pontificiis per-



permisit, cui adstipulatus est Philibertus, **Sæcul. XV.**  
 Episcopus Ambianensis pro Natione Gal- **A. C. 1423.**  
 lica, quæ sex Deputatos miserat; Pro  
 Natione Anglica, quæ ceteris numero ma-  
 jor erat, Richardus Lincolnensis Epis-  
 copus in eandem abiit sententiam, & se  
 jam pro nunc locum, quem legati desi-  
 gnaturi essent, acceptare declaravit. Nec  
 Hispanorum, nec Itolorum Deputati, ex-  
 ceptis Papæ Legatis, aderant. Prævia  
 hac deliberatione, sole jamjam inclinante,  
 Congregatio remissa est in crastinam  
 diem, ubi mane, convenientibus ceteris,  
 Episcopus Posnaniensis peracta re divina  
 in absentia Archiepiscopi Spoletani præ-  
 sedit, & ex suggestu scriptum legit se-  
 quentis tenoris.

§. CCXXIII.

*Concilium Senas translatum.*

*Sacrosancta Synodus Generalis Papiensis in Labbe Conc.*  
*Spiritu S. legitime congregata, caussa pe-* **to. 12. p. 356.**  
*stis inibi notorie grassantis ipsam civita-*  
*tem Papiensem mutat, & loco ipsius urbem*  
*Senarum in natione Italica consistentem,*  
*tanquam habilem & locum sufficientem pro*  
*continuatione ejusdem Concilii tenore præ-*  
*sentium eligit, atque deputat. Lecto hoc*  
*decreto, Petrus Archiepiscopus Creten-*  
*sis pro Italica Natione respondit: Placet,*  
*quamvis hæc Natio, cum hoc scriptum*



Sæcul. XV. omnino ignoraret, consentiendi potestatem Archiepiscopo non tribuisset. Idem etiam pro Natione Germana Nicolaus de Susato Theologiæ Doctor, & Richardus Lincolniensis pro Anglica respondebant. Quid egerit natio Gallica, ex Synodi actis non liquet; in his enim duntaxat indicatur, Gallos schedam a Posnaniensi Episcopo lectam, minime perspectam habuisse. Postquam vero plures Prælati, Doctores, & Principum Deputati Senis advenerant, habitæ sunt quædam Sessiones die octava Novembris: aliorum tamen Scriptorum fide discimus, eas incæpisse vigesima secunda Augusti; Ast cum inter Patres suborirentur jurgia, & Pontifex, qui Mense Septembri Senas se venturum promiserat, ob pestilentiam ibi grassantem, certo certius autem ob metum Alphonsi Arragonum Regis non compareret, auctoritate Pontificis præsentibus Prælatibus ad sua redeundi facultas data fuit; extra dubium tamen est, Synodum Senis cæptam, ibidem, atque ab iisdem Prælatibus, aliisque ex post advenientibus continuatam fuisse.

*Marian. l. 20  
c. 14.*

§. CCXXIV.

*Decreta circa fidem, & contra Wiclefistas ac Hussitas.*

Ceterum Patres reformationi Ecclesiæ  
ac



ac stabiliendis fidei fundamentis appri-  
me intenti, confirmarunt damnationem  
hæresum Constantiæ proscriptarum, si-  
mulque condiderunt decretum, quo re-  
novarunt pœnas adversus fautores Wi-  
clefistarum & Hussitarum jure sancitas;  
Hancque in rem omnibus plenarias con-  
cedunt indulgentias, qui hæreticos istos  
persequerentur, & hujus sectæ extirpa-  
tioni adlaborarent, innovantes Constitu-  
tionem Bonifacii VIII, vi cujus Ordina-  
riis ac Inquisitoribus præcipiebatur, ut  
hæreticos, vel horum fautores compre-  
henderent, damnarent, ac punirent, sub  
pœna suspensionis per quatuor menses  
negligentibus infligenda, quibus additum  
est præceptum, hoc decretum in sin-  
gulis Ecclesiis publicandi prima & quar-  
ta Dominica quadragesimæ, & diebus Na-  
tivitatis Dominicæ ac Paschatis.

Sæcul. XV.  
A.C. 1423.

§. CCXXV.

*De reunione Græcorum.*

In alio decreto de Græcis Ecclesiæ re-  
conciliandis actum, sancitumque est  
hunc in modum: *Quemadmodum summi*  
*Pontifices operam dederunt Ecclesiam Orien-*  
*talem cum Ecclesia Universali quoad fidem*  
*in Jesum Christum, Salvatorem nostrum*  
*uniendi, & Martinus V. Papa, paterna sua*  
*bonitate enixe omnia egit, ut tam sanctum*

Labbe Conc.  
to. 12. p. 369.  
& seq.



Sæcul. XV. *propositum exequeretur, hujus autem opta-*  
 A. C. 1422. *tum exitum per præsentem rerum statum spe-*  
*rare non licet, ita sancta Synodus perspe-*  
*cta necessitate reformandi Ecclesiam Catholi-*  
*cam statuit, fore procedendum ad hanc, reu-*  
*nione Græcorum tempori magis opportuna*  
*data occasione reservata. Absoluto hoc*  
*decreto, Epistola Patriarchæ Constan-*  
*tinopolitani latino & græco idiomate*  
*exarata, a duobus Secretariis in utraque*  
*lingua perlecta est. Relata quoque fue-*  
*re gesta Antonii Massani Franciscanorum*  
*Generalis ad Græcos ablegati, item o-*  
*ratio, quam habuit in confessu Græco-*  
*rum, & horum responsum. Recitatum*  
*denique est decretum tertium, quo con-*  
*demnationis ac depositionis sententia*  
*contra Petrum de Luna, olim Benedi-*  
*ctum XIII, lata confirmabatur, & acer-*  
*biores poenæ contra Schismatis promo-*  
*tores, aut qui illud post ejus mortem tue-*  
*ri vellent, statutæ fuerunt.*

## §. CCXXVI.

*Consilium Pontificis de Synodo in*  
*aliud tempus & locum trans-*  
*ferenda.*

*Labb. Conc.* **V**erum, priusquam causa reunionis  
 to. 12. p. 379. *Græcorum decideretur, ac proposita*  
*Ecclesiasticæ disciplinæ restauratio discus-*  
*teretur,*



teretur, Martinus V. de Synodo in aliud Sæcul. XV.  
A.C.1423.  
tempus differenda, necnon de loco mu-  
tando consilia agitabat, caussatus, pau-  
cos admodum confluisse Prælatos, im-  
perium belli tumultibus turbatum, atque  
inter ipsa Synodi membra graves exor-  
tas esse dissensiones. Vera tamen mu-  
tatae sententiæ causa erat, quod perti-  
mesceret Pontifex, ne Legatus ab Arra-  
gonum Rege ad Synodum missus, quic-  
quam contra Sedis Apostolicæ auctorida-  
tem attentaret, aut Synodus decreta Cu-  
riæ Romanæ perniciose sub reformatio-  
nis obtentu conderet; non enim ignorabat  
Pontifex, Legatum eo fine missum esse,  
ut moras nectendo ad causam Petri de  
Luna, Paniscolæ adhucdum agentis, fir-  
mandam tempus lucraretur, ipsumque  
Anti-Papam potiora Concilii membra  
tam promissis, quam largis muneribus  
solicitaſſe.

§. CCXXVII.

*Neapolis Regina a Rege Alphonso  
graviter offensa.*

Papa tamen ante initium sequentis an- Blond. I.  
dec. 31. in fin.  
ni voti sui compos fieri haud poterat.  
Obstabat enim Alphonſus Rex, qui de  
Pontifice repetitas habebat querelas, eo-  
quod genio, suisque desideriis velifican-  
tem non sensisset. Præterea supremam



Sæcul. XV.

A.C. 1423.

authoritatem, & despoticum in Neapolis Regno dominium exercere cæperat Alphonfus, ipsamque Joannam Reginam non modo a regiminis cura excluferat, fed omnino obsidione pressam tenebat in arce Portæ Capuanæ, ad quam ipsa comperto Alphonfi consilio, quo eam in Cataloniam relegare meditabatur, auffugerat. Verum tota civitas indignitate facti commota, adversus eum ad arma conclamat; Sfortia Benevento Joannam liberaturus accurrit, & cæsis quinque vel sex Arragonum millibus, qui urbe eruperant ei aditum præclusuri, ipsum Alphonfum in novum Castrum non sine gravi libertatis suæ periculo fugere compellit.

Cum vero Joannes de Cardonna opportune admodum Regi novam classem Barcinone adduxisset, denuo urbem ingressus est, quam ejus copiæ immaniter devastantes, quicquid obvium habebant, interemerunt, ac deprædationibus, atque incendiis, civium ædes hostilem in modum depopulatæ sunt; Favebat illis vel maxime Sfortiæ absentia, qui eo tempore Averfam obsedit, expugnavitque, eoque Joannam Reginam opportuna adhuc celeritate conduxit, ut adversus imminens periculum securum illi præsidium præberet.

§. CCXXVIII.



## §. CCXXVIII.

Sæcul. XV.

A.C. 1423.

*Alphonfi adoptio a Neapolis Regina  
solemniter rescissa.*

Post hæc Regina Alphonsum, summam Antonin. tit.  
Ro. c. 7. §. 6. ejus ingratitude exosa, velut infensissimum hostem habuit; quocirca hujus adoptionem revocavit, ac publico, eoque solemnī diplomate omnibus Principibus declaravit, Alphonsum ab omni jure in Neapolis regnum excidisse. Aberrat tum Alphonsus, jam enim Mense Octobri in Hispanias profectus erat, Henricum Fratrem suum liberaturus e carcere, in quem Castellæ Rex eum conjici jubebat, ulturus non modo infastas nuptias, quas Henricus utraque parte invita a Catharina ejus sorore extorserat, sed etiam injuriam, quam ab eo per aliquod tempus in vinculis detentus antea perpessus erat.

## §. CCXXIX.

*Massilia ab Alphonso expugnata.*

Arragonum Rex, ut erat magnanimus, intrepidus, impiger, & audax, in itinere suo aggressus est facinus, quo sane, nisi audaciæ adspirasset fortuna, insolitæ temeritatis notam non effugisset; quippe de Ludovico Andegavensi vindictam sumpturus, Massiliam ex parte, quæ portu

tu



Sæcul. XV.  
A.C. 1423.

tu cingitur, invadit, ac cum tota classe sua portum, rupta, qua claudebatur, catena, ingreditur, inde in aggerem ad ripam descendit, primisque obviis ædibus ignem infert, & totam urbem inopino metu percussam, paucis duntaxat civibus, iisque ignave resistantibus, occupat. Ergo, postquam tribus integris diebus eam vastavit, diripuitque, tandem urbis opulentissimæ spoliis onustus, cum partam tueri posse desperaret, iter suum in Hispaniam profecutus est, ablatis inde S. Ludovici Episcopi Tolosani reliquiis, quæ Massiliæ extra muros in Ecclesia Franciscanorum asservabantur, postea vero ab eo in Valentina Cathedrali Ecclesia magno honore collocatæ fuerunt.

§. CCXXX.

*Ludovicus Andegavensis a Regina adoptatus.*

Equidem Alphonsus ægerrime tulit, adoptionis suæ tabulas a Regina fuisse rescissas, longe vehementiori tamen dolore Neapolitani Regni jus in Ludovicum Andegavensem translatum intellexit, quo nihilominus nuncio summus Pontifex non modice lætabatur; unde Ludovici adoptionem diplomate prima Octobris dato confirmabat, eidemque suas submittebat copias, quibus cum Ludovicus nulla  
mora



mora ad Reginam se contulit. Subidem quoque tempus Sfortia Braccium aggressus est, qui Alphonfi partes tuebatur, & Aquilam, quæ urbs unica Ludovico adhucdum parebat, oppugnavit. In quo bello ambo isti tam insignes, Heroes perierunt. Sfortia quidem sub initium anni proximi in transitu fluvii Pescariæ solus ex toto suo exercitu aquis submersus, Braccius autem in prælio, quod infauso Marte contra Franciscum Sfortiam prioris Filium commiserat, trucidatus est. Ludovicus subsidiariis Genuensium, & Mediolanensium copiis auctus omnia ab Arragonensibus capta recuperavit, & Regni Neapolitani possessionem tenuit usque ad ultimum vitæ suæ diem, qui ei post decem annos funestus illuxit.

Sæcul. XV.

A. C. 1423.

## §. CCXXXI.

*Bellum Ducis Mediolanensis contra Florentinos.*

Hoc anno novum bellum in Italia ortum est Florentinos inter, & Philippum Mariam Mediolanensium Ducem. Hic enim Genua, & Liguria haud ita pridem suæ potestati subactis, Principatus sui limites insaturabili cupiditate in detrimentum Florentinæ Reipublicæ extendere nitebatur, & Forojulium antehac foedere junctum Florentinis, quibus Papa minus

Blond.

3. Dec. 1. 2. 3.

Pogg. lib. 5.



Sæcul. XV. minus favebat, jamjam eripuerat. Bel-  
A. C. 1423. lum hoc terra marique gestum non nisi  
 post longum temporis intervallum extin-  
 ctum est; nec segnius Gallos inter &  
 Anglos dimicatum. Quamvis enim Ca-  
 rolus VII. Scotos & Longobardos sibi  
 foedere junctos haberet, & Britanniae Du-  
 cem, utpote Vasallum in partes suas tra-  
 xisset, queis etiam accesserat frater ejus  
 Arturus, Comes Richemundius, cujus  
 amicitiam sibi conciliaverat, concessa ei-  
 dem, in locum Buckani in Vernoliensi  
 prælio trucidati Connestabilis dignitate,  
 nihilominus Anglorum armis succubuis-  
 set, nisi Deus eorum victoriis metam  
 præfixisset.

## §. CCXXXII.

*Bellum Flandriæ in causa Jacobinæ  
Brabanticæ Ducis.*

*Monstrelet.* Tandem etiam in Flandria bellum ex-  
*l. 2.* arfisse legimus, cui fomitem subjecit  
*Meyer l. 16.* Matrimonium, quod Jacobina unica Co-  
 mitis Hannoniæ Filia, defuncto Joanne  
 Galliarum Delphino primo ejus conjuge,  
 cum Joanne Brabanticæ Duce annorum  
 sex & decem adolescente contraxerat,  
 accedente summi Pontificis dispensatione,  
 cum Dux Sponsæ suæ Patruelis esset. Ma-  
 gna fuit Jacobinæ contentio cum Joanne  
 Bavaro, avunculo suo, qui, quamvis Sa-  
 cerdo-



cerdotio initiatus non esset, viginti tamen Sæcul. XV.  
 & octo annis Episcopatum Leodiensem A.C. 1423.  
 tenuit, atque indulgente Papa uxorem  
 duxit. Præterea eadem cum altero con-  
 juge suo infaustas habuit nuptias; hinc  
 eo relicto in Angliam migravit, & Duci  
 Glocestriæ, Henrici V. fratri nupsit. In-  
 de diuturnioris belli flammæ erumpe-  
 bant illum inter & Brabantia Ducem, a  
 Burgundo strenue adjutum. Mortuo  
 Joannæ, priore ejus Marito, Glocestriæ  
 Dux, ex Pontificis sententia uxorem suam  
 dimittere jussus est. Itaque Jacobina so-  
 lutis matrimonii sui vinculis bellum ad-  
 versus Burgundum omnibus viribus pro-  
 sequebatur, donec inita cum eo pace, at-  
 que amissis marito, opibusque suis Viro  
 cuidam Nobili, ac prædiviti, nomine Fran-  
 co, connubio jungeretur, quem Burgun-  
 dus comprehendere jussit, nec prius liber-  
 tati restituit, donec ei maximam bono-  
 rum suorum partem cessisset, retentis sibi  
 duntaxat aliquibus, iisque ignobilioribus  
 terris, ut cum conjuge sua vitam sustenta-  
 re posset, quæ tandem improlis decessit.

## §. CCXXXIII.

*Concilium Coloniense.*

Hoc anno Coloniae sub Theodorico e- *Labbe Conc.*  
 jusdem urbis Archiepiscopo, qui per *to. 12. p. 360.*  
 totam Italiam Imperii Cancellarius erat,  
 Syno-



Sæcul. XV. Synodus celebrata est, in qua undecim  
A.C. 1423. decreta condita sunt. Primum Concu-  
 binarios Clericos a divinis officiis depo-  
 nendos statuit, si admoniti intra novem  
 dierum spatium non resipiscant. II. Con-  
 tra Dominos subditis suis interdicentes,  
 ne civilia & necessaria commercia cum  
 Clericis habeant, aut solita eis obsequia  
 præstent. III. Præcipit, ut Officialis in  
 caussis appellationum jura communia ob-  
 servet. IV. Sub poena excommunica-  
 tionis prohibet, ne abrogentur, piæ fide-  
 lium consuetudines, v. g. in septimis, &  
 tricesimis defunctorum Missas celebra-  
 ndas constituere, panem, carnem, caseum,  
 pisces, vinum, cerevisiam, cereos vel pe-  
 cunias offerre. V. Disponit, ne quis  
 populo prædicet, aut Indulgentias pro-  
 mulget, nisi in sacris ordinibus sit consti-  
 tutus. VI. Ne Canonici aut beneficiati  
 in Ecclesia deambulent, aut fabulentur,  
 quamdiu ibi divina peraguntur, sub pœ-  
 na privationis fructuum ad octo dies.  
 VII. Ne Curati fratres Mendicantes pro  
 Vicariis assumant, si alii idonei possint  
 haberi. VIII. Circa concubenarios pu-  
 blicos Bullæ Carolinæ sanctionem obser-  
 vandam esse decernitur. IX. In hære-  
 sin Wiclefi & Joannis Hussi invehitur. X.  
 Statuitur, ut singulis feriis sextis circa  
 meridiem campana pulsetur; & quotidie  
 mane, iique, qui tempore pulsus tria  
 Pater



*Pater noster & Ave Maria* recitaverint, indulgentiis fruantur. XI. Tandem fancitur, ut festum compassionis B. Mariæ singulis annis feria sexta post Dominicam *Jubilate* celebretur, nisi aliud festum eodem die intervenerit, in quo casu ad proximam sextam feriam remittatur.

Sæcul. XV.  
A.C. 1424.

## §. CCXXXIV.

*Senense Concilium Basileam a Papa translatum.*

Martinus V. Papa Legatis suis potestatem dederat, Synodum Senensem transferendi Basileam, consentientibus Prælatibus. Itaque Patres præsentis Synodo finem imponere, & futuram indicere decreverunt, nominatis Nationum Deputatis, qui de loco deliberarent. Diversis in diversa abeuntibus, tandem post crebras dissensiones die decima nona Februarii Anno millesimo quadringentesimo vigesimo quarto convenerunt, ut Synodus, quæ juxta Constantiensis Concilii decretum proxime celebranda esset, in civitate Basileensi convocaretur. Hæc sententia in pleno confesso primo a Papæ Legatis, postea a primariis Nationum Deputatis approbata fuit. Dissensit solus Archiepiscopus Toletanus nomine Nationum.

*Tab. Conc.*  
*tom. 12. p.*  
376.

*Hist. Eccles. Tom. XXVI.*

K k tio-



Sæcul. XV.  
A.C. 1424.

tionis suæ, cujus mandatum sibi deesse dixerat, sed tandem acquievit ut Archiepiscopus, & Hispaniæ Primas; ideo autem prius hanc Synodi dissolutionem approbare cunctatus erat, eo quod studio quæsitâ, & ad eludendam reformationem excogitata sibi videretur.

§. CCXXXV.

*Epistola Pontificis ad Archiepiscopum Toletanum.*

*Labbe Conc. no. 12. p. 377.* **M**artinus ergo, ut Archiepiscopi animum permulceret, sequentia ad eum perscripsit: *Voluissimus, ut agi potuisset de reformatione Ecclesiæ Universalis in Senensi Concilio, sed postquam tanta rerum perturbatio secuta est, ut vidisti, in animo nobis est, hanc reformationis materiam non relinquere, sed ad prosecutionem debitam intendere in curia nostra. In quo sancto opere te optaremus esse præsentem, sed cum tibi, prosequitur Papa, necessarium sit tuam Ecclesiam visitare, & ad ipsius regimen prudentiæ tuæ commissum curas tuas, cogitationesque dirigere, contenti erimus, ut satisfacias muneri, ad quod specialiter es vocatus a Domino, hortantes nihilominus ipsam fraternitatem tuam, ut in quibuscunque locis tua vox, tuaque valebit auctoritas, laborare*



borare non tædeat pro honore, & Romane Sæcul. XV.  
 Ecclesiæ dignitate, sicut in devotione tua ple- A. C. 1424.  
 ne confidimus, & speramus. Præter To-  
 letanum Archiepiscopum alii quoque  
 Prælati aperte querebantur, a Pontifice  
 reformationem Ecclesiæ impediri; quo-  
 circa Legati necessarium duxerunt, Præ-  
 latis declarare, quod neutiquam per hanc  
 translationem Senense Concilium dissol-  
 veretur, sed Concilii Præsides unacum  
 Nationum Deputatis sinceram Ecclesiæ  
 emendationem omni sollicitudine pro-  
 movere intenderent.

## §. CCXXXVI.

*Decretum de Synodi dissolutione pro-  
 mulgatum.*

Idem quoque declararunt Nationum *Ibid. p. 378.*  
 Præsides, & demum die 26. ejusdem  
 mensis Februarii dissolutæ Senensis Sy-  
 nodi decretum promulgatur, atque ad  
 valvas Ecclesiæ Cathedralis dictæ urbis  
 affigitur. Pontifex has dissolutionis caus-  
 as produxit, scilicet, tempore novem  
 propemodum mensium paucissimos Præ-  
 sules Senas venisse, plures legitime im-  
 peditos, alios rursus inde digressos; hos  
 vero, qui præsentibus essent, in diversa  
 abire consilia, ita ut nec publica haberi



Sæcul. XV. Sessio, nec ullus Articulus communi-  
 A.C. 1424. sensu stabiliri valeret. Has ob causas

Concilii Præsides die septima Martii Præ-  
 latos ad suas Diœceses redire jubent, pro-  
 hibentque, ne ullos coetus agant, per  
 quos Concilium Senense, sic dissolutum  
 adhuc videretur continuari.

§. CCXXXVII.

*Synodi dissolutio a Pontifice confir-  
 mata.*

Cum Pontifex dissolutionem Synodi,  
 ac Basileensis urbis designationem,  
 in qua præstituto tempore proximum ce-  
 lebraretur Concilium, ratas haberet, Bul-  
 lam desuper die duodecima dicti men-  
 sis edidit, qua etiam prohibitionem de  
 Senensis Synodi continuatione innovat,  
 jubetque, Archiepiscopi, Episcopi ac Lo-  
 corum Ordinarii præfatam Bullam in suis  
 promulgarent Ecclesiis. Denique eodem  
 die vi alterius Bullæ tres Cardinales,  
 nimirum Antonium, Portuensem Epis-  
 copum; Petrum Cardinalem Presbyte-  
 rum tit. S. Stephani in monte Cælio; &  
 Alphonsum Cardinalem Diaconum S. Eu-  
 stachii nominavit, dato negotio, ut om-  
 nes informationes, consilia, vel monita,  
 quæ quisque in restaurandæ disciplinæ  
 negotio



negotio suggerenda censeret, ipsi exci- Sæcul. XV.  
 piant, atque discutiant. Tandem hoc i- A.C. 1424.  
 pso die Martinus V. Basileensibus per  
 Breve, Senenses Sessiones solutas esse si-  
 gnificat, honorem vero, qui ob solemnem  
 omnium Christiani orbis Episcoporum  
 concursum huic civitati obveniret, gra-  
 tulatus est, additque, quod Apostolica Se-  
 des Decretum Patrum Senensium ratum  
 habuisset, ac confirmasset, dein hortatur  
 eos, ut supremi Pontificis nomen ho-  
 norarent, & Ecclesiastici Ordinis digni-  
 tatem tuerentur, seque universalis Eccle-  
 siæ in eorum urbe congregatæ præsen-  
 tia dignos exhiberent.

## §. CCXXXVIII.

*Obitus Petri de Luna, dicti Bene-  
 dicti XIII.*

Alphonsus adversus Papam ira in dies *Mariana*  
 magis commotus, eo quod illi investi- l. 20. c. 14.  
 turam Regni Neapolitani disertis verbis  
 denegasset, atque insuper in ejus præ-  
 judicium Ludovici Andegavensis jura, at-  
 que adoptionem confirmasset, præten-  
 sas hæc injurias vindicaturus, mortuo  
 Petro de Luna schisma resuscitare decre-  
 vit. Hic enim Pseudo-Papa die prima  
 Junii in Pentecostes festo, vel ut memo-  
 rant alii, in mense Septembri, brevi post



Sæcul. XV. Alphonfi in Hispanias reditum, in arce  
A.C. 1404. sua Paniscolæ e vita migravit. Mirum  
 sane, qua ratione Vir ille tot, tantisque  
 calamitatibus undique pressus, solus, ut  
 ita dicam, unica manu sua contra manus  
 omnium pugnas, dies suos vix non us-  
 que ad nonagesimum ætatis annum pro-  
 traxerit. Quinimo si Hispanorum non-  
 nullis fides habenda, diutius adhuc vitam  
 prorogasset, nisi Monachus quidam Pe-  
 tro admodum familiaris bellariis, quibus  
 pro more, absoluto prandio, vescebatur,  
 venenum immiscuisset, nec desunt, qui  
 etiam referunt, quod sicarius ille, cum  
 scelus suum fassus esset, quatuor in par-  
 tes dilaceratus fuerit, Cardinalis quoque  
 Pisanus in Arragonia legatus, quod in  
 eum primo criminis suspicio caderet, ce-  
 leri in Italiam fuga salutis suæ prospexerit,  
 Roderici & Alvaresii de Luna iram  
 declinaturus, qui Patruum cædem ulturi,  
 presso pede Cardinalem insequabantur.  
 Nihilominus longe certius est, non vene-  
 num, quod eidem absque firma ratione  
 propinatum asseritur, sed decrepitam Vi-  
 ri senectutem mortis suæ veram extitisse  
 causam. Corpus ejus in Ecclesia arcis  
 Paniscolensis nulla pompa terræ man-  
 datum, & sexto exposit anno incorruptum,  
 suavemque spirans odorem repertum est.  
 Inde jussu Joannis de Luna ex fratre Ne-  
 potis



potis Igluecam Arragoniæ urbem, & Lu-  
 nensibus subditam translatum fuit, ibi-  
 que, ut ajunt, in hanc usque diem a cor-  
 ruptione liberum asservatur, quod vel a-  
 romatibus ad curandum ejus cadaver  
 adhibitis, vel naturali causæ, quamvis  
 ignotæ, non autem sanctitati ejus ad-  
 scribendum est. Hic adeo persuasum ha-  
 bebat, se solum legitimum esse Pontifi-  
 cem, ut fallaci hac opinione usque ad ex-  
 tremos vitæ suæ dies delusus, duos Car-  
 dinales, qui ei adhæserant, nempe Julia-  
 num Dobra, & Dominicum de bona spe  
 Carthusianum sub juramenti fide, ac æ-  
 ternæ maledictionis comminatione ad-  
 strinxerit, ut eo fatis functo alium in Pa-  
 pam eligerent. Mortuo illo Alphonsus  
 Arragoniæ Rex religionem utilitati pro-  
 priæ accommodare solitus, eos quoque  
 compellebat, ut Martino V, in quem vin-  
 dictæ cupidine ardebat, dignitatis Pon-  
 tificiæ æmulum crearent.

§. CCXXXIX.

*Petri de Luna Successor a duobus Car-  
 dinalibus creatus.*

Ergo hi duo Cardinales Pseudo-concla-  
 ve ingrediuntur, Papam nominaturi;  
 cum autem neuter horum, deficiente ma-  
 jori suffragiorum parte eligi posset, nisi unus  
 eorum sibimetipsi suffragium daret, quem-

K k 4 dam

Sæcul. XV.  
 A.C.1424.



Sæcul. XV. dam extra prætentum hoc conclave eli-  
A.C. 1424. gere statuunt.

## §. CCXL.

*Ægidius Munio in Papam electus, sub  
nomine Clementis VIII.*

Itaque Ægidium Mugnos, seu Munionem, Nobilem Arragonensem, Barcinonæ Canonicum, & juris Pontificii Doctorem, Virum prudentiæ, ac doctrinæ fama celebrem, Anti-Papam creant. Munio electioni suæ, quam invalidam, ac S. Canonibus adversam probe cognoverat, primo obluçtatus est; cum vero Alphonsus, cujus imperio subjectus erat, ut Papatum acceptaret, præcepisset, tandem acquievit, & Paniscolæ Pontificalia sumpsit insignia, nomenque adoptavit Clementis VIII; omnibus summi Pontificis muneribus publice functus; ut vero suum Consistorium numero magis conspicuum redderet, aliquos etiam creavit Cardinales, quibus suum quoque Nepotem accensuit; cupiebat enim in hoc etiam puncto sese quorundam Pontificum Successorem exhibere.

## §. CCXLI.

*Pacis consilia Imperatorem inter &  
Zischa.*

*Cochl. Hist.  
Russit. l. 5.*

Interea cum Zischa Pragam quoque occupas-



cupasset, facile Sigismundus, Bohemiæ Sæcul. XV.  
 armorum vi recuperandæ vix spem sibi A.C. 1424.  
 superesse prospexit; haud enim ignorabat,  
 quod terribilis hostis suus, quantumvis  
 cæcus, prospero tamen Marte, & constan-  
 ti (quod rarum est) fortunæ favore pu-  
 gnaret; hinc tecto nomine pacem offerri  
 curavit Zischæ, pactionibus propositis,  
 quibus Cæsar præter hujus Regni, & Pro-  
 vinciarum, quæ annexæ sunt, administra-  
 tionem, Zischæ etiam supremum rei mi-  
 litaris imperium, regnique jura ac pro-  
 ventus promitteret, dummodo Sigismun-  
 do nomen Regis salvum relinqueretur,  
 & ipse Bohemos induceret, ut jurarent,  
 se nullum præter Cæsarem pro legitimo  
 eorum Principe unquam agnituros. Hæ  
 pactiones, inquit Æneas Sylvius, *in ma-  
 gnâ profecto Regiæ Majestatis ignominiam,  
 & imperialis gloriæ dedecus, atque infamiam  
 Christianæ Religionis cedebant.* Zischa has  
 condiciones acceptavit, forte tædio affe-  
 ctus diuturnioris imperii in populum, cui  
 potius arridebat regimen Aristocraticum,  
 ac cuidam Belliduci ea fidelitate sub-  
 esse, quam præsentis temporis ratio po-  
 stulasset. Præterea consultius sibi fore  
 judicabat verbis Imperatoris, ac Domini  
 sui fidei, quam sese triginta millium se-  
 ditiosorum levitati committere, & si illis  
 habenda fides, qui Zischam mortis suæ



Sæcul. XV.  
A.C. 1424. præscium fuisse referunt, magis gloriosum vitæ suæ finem feligere haud potuisset, quam quod sola illius Monarchæ, quem Christianus Orbis omnium supremum venerabatur, & ipse octies in præliis devicerat, clementia tandem se victum profiteretur.

## §. CCXLII.

*Zischæ obitus.*

*Æn. Sylv.*  
*hist. Boh.*  
*c. 46.*

Tanta auctoritate apud suos pollebat Zischa, ut Hussitas non modo ad amplectendas, quas iniisset, pactiones, sed etiam ad fidem Cæsari repetito jurejurando obstringendam induceret. Dum vero ipse se fidei suæ testem Sigismundo exhibere meditabatur, in itinere pestilentia correptus, sexta Octobris die hoc anno in castello Piscoviæ obiit, jure summos inter ævi sui Heroes numerandus. Militarem animum, quem fovebat, produnt extrema agonizantis Zischæ verba; ferunt enim, illum, cum a quodam, qui morienti assistebat, interrogaretur, ubinam corpus suum sepeliri vellet, jussisse: *Cadaveri meo, pellem adimite, carnes volucribus ac feris obiectate, ex pelle tympanum facite, eoque sonante bella gerite; arripient enim fugam hostes, quamprimum ejus tympani sonitum audient.*

## §. CCXLIII.



## §. CCXLIII.

Sæcul. XV.  
A.C. 1424.*Huffitæ in Taboritas & Orphanos  
separati.*

**M**ortuo Zifcha Huffitæ in duas scinde-  
bantur factiones. Prima, Thabori-  
tarum nomen sub Duce Procopio magno  
assumpsit, altera vero Orphani appellari  
voluit: hi, cum crederent, nullum inve-  
niri posse successorem Zifcha dignum, sin-  
gulis annis novos elegerunt Duces, quo-  
rum summa esset potestas, exceptis iis,  
in quibus cum hoste confligendum, die-  
bus; in illis enim soli Procopio, cogno-  
mine Parvo, parebant. Nihilominus hæ  
duæ factiones, etsi inter se dissentirent,  
ubi tamen Catholicorum vicinas Bohe-  
miæ Provincias deprædandi occasio na-  
ta erat, junctis viribus, iisdemque castris  
pugnarunt, & singulis annis omnes hæc  
regiones misere devastarunt. Hi quoque  
pactum Cæsarem inter & Zischam ini-  
tum haud diu observabant, temerarie  
præsumentes, quod adversus quoscunque  
demum hostes securi forent, eo quod hye-  
mali tempore Thaborensis arcis muni-  
mentis defensi subsistere, & in æstate pro-  
libitu suo Germaniam, Hungariam, &  
Poloniam depopulari possent. Devasta-  
runt etiam superiorem, & inferiorem Au-  
striam,

*Kranz. II.  
Wandal. 9.*



Sæcul. XV. A.C. 1424. striam, vicerunt in acie Albertum Austria-  
cum, Imperatoris Generum, dum eos apud urbem Schutlendam aggredi meditabatur, & præterea binis vicibus exercitum, quem Julianus Cardinalis comitabatur, profligarunt.

## §. CCXLIV.

*Angli Montargium obsident, & obsidionem solvunt.*

*Joan. Char-  
tier. Hist.  
Car. VII.]* Nec segnius in Galliis bellum cum Anglis flagrabat. Hi, Warwici & Suffolciæ Comitibus agmen ducentibus, Montargium, quod Carolo VII. parebat, obsidione cingunt. Arturus Richemundii Comes, Galliæ Connestabilis contractis suis copiis, ad liberandam urbem accurrit, nec infelici successu; fusi enim fugatique Angli, tormenta ac impedimenta Victori cedere coacti sunt. Non multo post Retzius & Bomanorius Lusdum, urbem Andegaviæ ad ligerim ab Anglis possessam, recuperarunt. Sed minus prospera fuit Gallis Fortuna, dum Cenomanum occupare tentant; Talbotus enim Anglis, qui ad turrinam, portæ S. Vincentii vicinam, convolabant, suppetias ferens, paulo ante Urbis Victores, jam victos expulit. Adduxerat quidem in auxilium Duglossius Comes quatuor millia Scotorum,



rum, miserat quoque Mediolani Dux sex-  
centos hastatos equites, & fere duo mil-  
lia peditum, sed vix hæ copię advene-  
rant, jam cæsæ fuerant. Unde Regis  
potentia nimium labefactata fuit.

Sæcul. XV.

A. C. 1424.

## §. CCXLV.

*Bedfordiæ Dux Iberium capit, &  
Gallos profligat.*

Dux Bedfordiæ captis quibusdam ur-  
bibus Iberium obsidet, moxque ci-  
ves ad diem 20. Augusti deditionem pol-  
licentur, nisi interea tam validam copia-  
rum auxilium, ut fors Urbis prælii for-  
tuna dirimi possit, submitteretur; Equi-  
dem Connestabilis, Dux Alenfonius, alii-  
que Belliduces adducunt subsidiarios mi-  
lites; ast illi, cum prælium inire non au-  
derent, Vernolium abeunt, rumore  
spargantes, quod Anglorum copias Ibe-  
rium obsidentes fugaverint, ac deleve-  
rint. Ementitæ hujus Victoriæ fama  
territos Vernoliensis præsidii Præfectos,  
qui sub Anglorum vexillis pugnabant, in-  
duxerat, ut Vernolienses urbis suæ por-  
tas Gallis aperirent; Sed paulopost Bed-  
fordiæ Dux, capto Iberio, Gallos Vernoli-  
lii castra metantes aggreditur, atque pro-  
fligat, cæsis quatuor millibus & amplius,  
captisque Duce Alenfonio, Marefcallo de  
Fayette,



Sæcul. XV. A.C. 1424. Fayette, Ludovico de Gaucour, & plusquam trecentis aliis Illustribus Viris. Bukan Franciæ Connestabilis in prælio occubuit, & inter mortuorum strues inventi erant Comes Duglassius, & Narbonensis Vicecomes, cujus cadaver, quia cædis in Joannem Burgundum perpetratæ complex erat, quadratim dissectum est, ejusque partes in diversis locis palo affixæ exponebantur.

## §. CCXLVI.

*Coronatio Reginæ Poloniæ.*

*Cromer. l. 39* Eodem anno Februario vix ineunte Coronatio Sophiæ Polonorum Reginæ superbo apparatu celebrata est; Auxit solemnitatis splendorem Sigismundi Imperatoris præsentia, qui foedus cum Ladislao, Poloniæ Rege, & Erico Daniæ, Sueciæ ac Norvegiæ Regibus innovaverat, qui ultimus huic pompæ interesse voluit, Sigismundum imploraturus, ut pacis inter eum, & Slevicenses Duces conciliator esset. Aderant præterea Cardinalis Placentinus S. Sedis Legatus adversus Hussitas nominatus, Julianus Cæsarinus Cameræ Apostolicæ Auditor, & postmodum Cardinalis, multique alii Germaniæ, Hungariæ, Lituaniæ, ac Russiæ Principes. Absolutis Coronationis solemnibus



solemnibus sumptuosum instruebatur convivium, in quo Cæsar primum locum occupabat, a dextro sibi assidentem tenens Poloniæ Regem, a sinistro Ericum; idem dextrum latus post Polonum occupabant Cardinalis Placentinus, & reliqui Prælati ordine suo succedentes; ad lævam autem Principes sæculares confederunt. Principes isti ad preces Cardinalis Legati, antequam discessissent, conventum egerunt, in quo sancitum, quod Ladislaus, præter milites voluntariam militiam professos, quorum ingens erat numerus, insuper quinque Equitum millibus Sigismundo ad prosequendum Bohemiæ bellum subsidio adesset. Ipse Ladislaus arma in Bohemos convertere decreverat, eo quod Contributus jamjam Bohemicum iter aggressus esset, regni hujus insignia suscepturus, quem ideo Rex Poloniæ publicatis ejus bonis proscripsit.

Sæcul. XV.

A.C. 1424.

Vid. supr. §.  
CCXXVI.

## §. CCXLVII.

*Jacobus I. Scotiæ Rex, e vinculis liberatus.*

Hoc anno Jacobus I. Scotiæ Rex, postquam octodecim omnino annis in Anglia carceri mancipatus esset, libertati assertus dicitur. Filius erat Roberti III, Anno Domini millesimo quadringentesimo

Boet. l. 16.

§ 17.

mo



Sæcul. XV. mo sexto ab Anglis in Gallia captus, Pa-  
A.C. 1424. tre suo adhuc vivente, qui accepto tristi  
 nuntio paucis diebus superstes erat. Ja-  
 cobo libertas concessa non fuit, nisi ea lege,  
 ut Joannam Comitis de Sommerfeto Fi-  
 liam sibi desponsaret, ex cujus dote cen-  
 tena millia Marcarum argenti tanquam  
 libertatis suo lytrum, prout conventum  
 erat, Anglis soluta fuerunt. Die 21. Ma-  
 ji hujus anni regium diadema sumpsit, &  
 ubi in Comitibus generalibus a Scotiæ Or-  
 dinibus Rex agnitus fuit, nonnullos, qui  
 captivitatis suæ tempore indignos Regni  
 administratores sese exhibebant,  
 severe coercuit.

